IOANNIS BAPTISTAE GAZANI

AD DEFENSOREM IOSEPHI SCALAE SICVLI,

Sub nomine Ioannis Antonij Quinquerugij

Responsio.



VENETIIS,

Gratiosus Perchacinus excudebat M D XC.

Ioanni Iacobo Tonialo, Veronensi,

Ioannes Baptista Gazanus. S. D.

RESPONSIONEM hanc meam, quam tribus ab hinc mensibus ad te misi, vt Venetijs tua cura ederetur, vel eo ipso die, quo manum illi admoui, tibi Toniale, dicare constitueram; ea scilicet ratione, quod virum Magini studiosissimum, qualem te esse, Maginus ipse prædicat, libenter, id sibi iure viderem exposcere, quod Magini labores, & illius existimationem à furum manibus vindicare contendit. Et poteram equidem, hac vna ratione esse contentus; sed ipsa editionis occasio aliam quoque inuexit: cum enim per varias eorũ occupationes, quibus Venetijs sancto iubente Officio edenda scripta exhibentur videnda, ad hunc vsque diem responsionis huius editio sit retardata, te ego hac ipsa epistola huiusce moræ testem vocare constitui, quippe qui hoc totum negotij præ manibus habueris, possisque præ cæteris testari, huic meę responsioni ante Klendas Februarij finem imposuisse, eamque penitus absolutam ad te misisse. Hanc igitur ea tu fronte excipito, qua Maginum ipsum, atque adeo ipsius labores soles excipere, & si ea, quam dixi, opus fuerit attestatione, pro rei veritate me ipsum tuere. Vale.

IO. BAPTISTAE GAZANI AD DEFENSOREM IOSEPHI SCALAE SICVLI,

SVB NOMINE IO. ANTONII QVINQVERVGII

Responsio.



NIHIL mihi optabilius poterat euenire Quinquerugi, aut quisquis es alius, quam pleraque ex ijs, quæ superiore ~~animo~~ de Ioannis Antonij Magini clarissimi Mathematici Ephemeridibus in suas paullò ante editas descripsisse Iosephum Scalam Nætinum Siculum mihi nunquã antea notum, animaduerti, atque in iudicio ea de re èdito lectorem admonui, à te metipso in tua responsione, quam ego nuper legi, mihi ita concedi, vt certioribus ea probare velle argumentis stultum putem. Quapropter ago tibi gratias, quas possum maximas de me optimè meritò, vt qui mihi multò meliùs, quàm Scalæ ipsi consultum volueris, & quò nostram tuereris existimationem, non timuisti præuaricatoris nomen, quod mihi obijcis, tu vnus subire: verbis enim Scalam ipsum deffendis, re autem nostram potius caussam agis, ac Magino ipsi patrocinaris. Vt ergo tibi in instituta abs te opera adiutor sim, & quam possum opem feram in caussa communi aduersus te ipsum, tamquam aduersarum partium tutorem sic disputabo.

Duo præcipua capita tua continet responsio, calumnias scilicet, quas præter disputationis occasionem maxima animi perturbatione continuo effundis, & deffensionem caussæ, in qua alia concedis, ac confiteris, alia dissimulans quasi non agnoscas, quædam ~~vero~~ leuiuscula, ita semper exageras, ac si in ijs sit caussa constituta, & errata Scalæ dum tueri contendis alia super addere non vereris, quæ duo oratorũ more artificiosè confundis. Ego vero duo hæc capita disiungenda, ac seorsim examinanda rectiùs censui, ac primum quidem caussam ipsam diligentiùs, quàm antea pertractabo, luceque clarius ostendam, quod à principio semper probare institui, Scalæ nempe Ephemerides maiori ex parte esse ex ipsiusmet Magini Ephemeridibus descriptas, easque exactiores non esse, quàm illę Magini, deinde Scalam ipsum nullam iustam occasionem habuisse illas publicandi clarè sum demonstraturus, quod postquam fecero, calumnias etiam illas, quibus Maginum in odium, atque contemptum adducere studuisti, apertè, & candidè diluam, atque refellam.

Vt autem primum a nobis propositum concludere rectius, & facilius valeamus,

 tuam

tuam in primis accipiemus confessionem, quid nã a Magini Ephemeridibus Scala excripserit. Ais igitur pag. 3. Scalam lunæ aspectus ad planetas, & planetarum inter se, eorumque latitudines ex Ephemeridibus Magini sumpsisse mutuas; deinde pagina 10. longa oratione tandem fateri cogeris, Scalam ad aliquos paucos cuiusque mensis dies planetas quinque ex tabulis supputasse, & intermedios dies ex Magini Ephemeridibus descripsisse, hoc idem pag. 23. & alibi confirmas, quod sanè fassus non fuisses, nisi errata typographica te coegissent. Hanc quidem confessionem ad conuincendum Scalam, auctorem legitimum Ephemeridum iure non posse uocari, sed potius Ephemeridum recognitorem satis, superque esse quilibet sanæ mentis vir iudicare potest, cum à totali constructionis Ephemeridum labore ex tua confessione abstinuerit; hoc vnum tamen negas, solis, scilicet motum à Magino diligentissimè, usque ad secunda supputatum nullo pacto Scalam desumpsisse, opinarisque illas obiectiones, quas ad hoc conuincendum adduxi sufficienter satis de medio sustulisse, quod sanè aliter tibi euenisse in hac mea oratione clarè intueberis.

Quod planetarum aspectus iure Scala describere à Magino potuerit, reddis rationem his verbis, quia scilicet vidit exquisitissimam esse horarum rationem in aspectibus, vsumque illarum parui admodum esse momenti; maximi vero laboris esse illarum rationem inire. Itaque cum ex maximo labore exigua manaret vtilitas, probaretque ea in re laborem à Magino susceptum, eadem à Magino sumere non grauatus est: noluit enim vir prudens optimo Moletij consilio vsus inutilem laborem suscipere. Hæc sunt tua verba posita pag. 4. & paulo inferius subdis etiam, quia grauissimi quique viri in aspectibus exactam diligentiam non posuerunt, vt in re parui momenti, & tandem, quia Maginus ipse omnes ferè aspectus ex Ephemeridibus Mestlini accepit, & characteres reliquorum annorum ex Ephemeridibus Stadii.

Quod igitur Scala ea ratione à Magino acceperit aspectus, quia eius laborem probauerit, & quod Moletij consilium inutilem repetitionem laboris iam ab alio suscepti dissuadentis sit sequutus, non possum non laudare; sed quod eosdem aspectus, Maginum à Mestlino accepisse inconsideratè profers, hoc vero ferri minimè potest, præsertim cum hoc sola Scalæ auctoritate afferas, quã putas maximè ab omnibus probari, at hoc tuum mẽdacium satis quidem manifestum validissimo hoc argumento coargui potest. Mestlini aspectus ad horas integras tantum notantur, prætermissis minutis, Maginus autem cum horis, & minutis aspectus omnes notauit. Vel igitur Maginus aspectus a Mestlino desumpserit, & tunc illa scrupula ab ipso temere fuerint addita, nec vllo pacto cum ipsis aspectibus congruant, vel non desumpsit, verum eos denuo supputauit, hic uero oportebit ad illas horas, & scrupula ab eo notata aspectus ipsos fieri, hoc autem semper accidit, ut scilicet ad horas illas, & minuta aspectus ipsi fiant, ut quilibet Ephemeridum vsum intelligens experiri potest, ergo necessariò sequitur Maginum aspectus ab aliis non accepisse, sed eos suo Marte computasse.

Taceo hic libenter, aspectuum tempora non prorsus aspernanda esse, cum non minoris fortasse referat, planetarum congressus exquisitè definitos habere, quàm ipsorum planetarum longitudines in tempestatibus præsertim, & aeris mutationibus, ut ex huius generis laboribus Petri Slouacij studij Cracouiensis ordinarij Astrologi, Adami Manderij Medici, & Mathematici apud Gan

danenses.

dauenses, Cornelij Gemmæ Medici, & Mathematici apud Louanienses, & aliorum eruditorum Astronomorum satis euidenter confirmari potest. Cæterum excusatio, quam pro Scala affers, cur non dixerit, se hos aspectus ex Magino transcripsisse, quia videlicet nec Moletius, nec alij in suis scriptis, quæ ex aliorum libris deprompserunt, hoc fecerint, non est satis tuta, cum allegare (ut dicitur) inconueniens non sit soluere, sed de aspectibus hæc satis.

Planetarum porrò latitudines liberè etiam confiteris, Scalam ipsum non negare ex Magino transcripsisse eisdem per motum rationibus, quas de aspectibus protulisti, quibus addis, motum latitudinis nostris temporibus omnino negligendum uideri, ut eum, qui secundum Scalæ opinionem in genituris tantum hominum usum habeat, & auctoritate tandem Regiomontani clarissimi Mathematici idem confirmas, qui suis Ephemeridibus planetarum latitudines non adiunxit, sed ut prorsus inutiles eas neglexisse uidetur. Putabam equidem ego latitudines esse summè necessarias ad definiendum ortus, & occasus planetarum, ut scilicet sciri posset cũ quonã gradu Eclipticæ planeta quilibet oriatur atque occidat, & alios etiam habere usus in obseruationibus planetarum in cœlo, ac in eorum congressibus cum affixis syderibus, nec non etiam in auræ mutatione, ut apud auctores Astronomiæ passim habetur, neque ideo à Regiomontano primo Ephemeridum impressore, ne dicam auctore, annotatas fuisse suspicabar, quia non ipsi in mentem uenerit, eas in calce cuiusque mensis reponere, ut omnes posteriores fecerunt, apparet enim latitudines Regiomontanum ipsum maximi pendere in suis directionum tabulis, & in usu tabulæ primi mobilis, cum multæ propositiones absolui nequeant absque latitudinum vsu; nunc cum eas latitudines haud magni esse faciendas, nec iure tantum ijs clarissimos Astrologos detulisse à Scala didicerim, ego quoque posthac illas contemnam.

Cæterum in præsentia non quæro amplius de Scala, cur non professus fuerit, hunc latitudinis motum à Magino descripsisse: mihi enim satis uidetur, nunc hoc fassus fuisse, id unum ab ipso scire maximè uelim (sicut etiam in meo iudicio dicebam, cui non respondisti in hac parte) quanam ratione, quove scopo tot, ac tantos numeros in motu latitudinis studiosè mutauerit? nam fateris nunc, Scalam latitudines Magini accepisse, & tamen numeri Scalæ cum numeris Magini non semper conueniunt, sed sępè nonnulla inter eos apparet differentia, ut unius, duorũ, trium, & plurium minutorum in anno 1589. in quo 65. differentiæ numerantur, sicque in anno 1595. sunt 23. differentiæ unius minuti, & quatuor duorum, & in anno 1600. sunt quindecim tantum mutationes unius minuti, & sic quoque in aliis annis, in quibus obseruandis tempus conterere nolui. Quid ergo ais tutor Scalæ? Non puto Siculum sese excusaturum, mutationes has, seu differentiam hanc dum suus liber uel transcriberetur, uel imprimeretur, esse obortam: hoc enim nullo pacto cuipiam credibile, neque etiam defendi potest, hos numeros sese mutasse, quod putaret eos restituere (id enim nisi diuino numine afflatus præstare nõ potuisset) absque enim computo, neque Ptolomæus ipse, neque Copernicus, neque Reinoldus, neque quisquam alius quantum uis in calculo uersatus diuinare potuisset, aliquem numerum in latitudine planetarum falsò esse notatum in uno præsertim, vel duobus minutis, tametsi notabilia errata facilè possint percipi facta comparatione cum numeris proximè antecedentibus, &

conse-

consequentibus, quæ tamen Scala non detexit, ut apparet annô 1595. de mense Augusti, & anno 1596. mense Februarij in Mercurio, ubi more suo minuta pauca mutans in errata impressionis ad integros gradus prolabitur, sed age quæso uis ut Scala duo, uel tria minuta in motu latitudinis non negligat, quem nullius momenti hunc motum latitudinis existimantem facis? Concluditur ergo ex his necessariò, nullum alium fuisse Scalæ scopum, nisi hac pauca mutatione facta lectoribus astutè persuadere uoluisse, se re uera latitudines computasse, non autem aliunde eas transcripsisse, quod an sit hominis probi, & ingenui iudicent candidi lectores, ego nihil pronunciabo, neque in contumelias, morem Scalæ imitatus, prorumpam.

Iam uero postquam iis, quæ aduersus tuum Scalam attulimus utcumque respondisti, putas te non leuiter vlcisci, dum connumeras aliqua loca latitudinis ♀, & ☿ in anno 1588. quæ errata esse in Magini Ephemeridibus constanter affirmas, quibus persuadere niteris in reliquis quoque annis errata non pauca latere. Quid hoc quæso refert, si auctor ipse in suarum Theoricarum præfatione liberè fatetur, planetarum aspectus non ea diligentia esse computatos, quin possent paucis nonnullis minutis à tabulis differre, ob causas eo in loco relatas? quod nec ego in meo iudicio negani, uerum hoc potius contra te ipsum facere videtur, cum tales latitudines Scala describere sibi turpe non putarit: ut tibi concedam in præsentia, verè esse errata illa, quæ tu non uerè de Magino asseruisti; sed certè ferri non potest, quod abs te fit impudentissime, dum calculos ipsos Magini esse plerumque falsos confidentissimè asseueras: quasi existimes, nos adeo esse fatuos, ut hæc tua mendacia coarguere ne queamus; sed uide in eam hominum opinionem Scalam adducis, ut parum in supputando profecisse uideatur. Nunc autem attende uter eorum grauius à uero aberret in huiusmodi latitudinibus à te notatis.

1. Nouembris 1588. afferis debere esse ♀ latitudinem gr. 1. 24′. 3″6. Austrinã, quam Maginus notat gr. 1 17′. Austrinam itidem, per tabulas autem adinuenitur gr. 1 16′. 4″4. Austr. quare errauit Scalæ computus, & non Magini.

Mense Octobris ponis latitudinem ♀ erratam esse ad quinque minuta in Magino, quod facilè concedo.

1. Septembris adscribis Magino erratum 14. minutorum in ♀ latitudine, cum notet eam gr. 3. 36′. sed uterque errauit, quia ex tabulis elicitur gr. 3. 43′. 36″. cum differentia octo minutorum à Magino.

21. Februarij putas Maginum in ☿ latitudine errasse ad 7. min. cum denominatione falsa, dum eam ponit in gr. 0. 1″6. Mer. sed inuenitur per tabulas gr. 0. 14′. 45″. Mer. differens uno minuto à numeris Magini, decipitur ergo, & hic Scala.

Primo Martij notas erratum in latitudine ☿ in Magino ad semissem gradus, cum eam scribat in gr. 1. 13′. Mer. quæ ex tabulis prodit in grad. 1. 21′. 5″. Mer. abest ergo Maginus à tabulis octo tantum minutis, Scala autem 22. minutis.

Primo Aprilis rectè notas Mercurij latitudinem in Magino esse erratam non enim debet esse gr. 0. 3′5. sed gr. 0. 22′. ex tabulis enim prodit gr. 0. 21′. 50″. attamen in exemplari Magini manuscripto erat gr. 0. 2′5.

Mense Iulij eiusdem anni notas malè supputatam esse ☿ latitudinem in Magino ad 12. min. & ultra, quod non est uerum, nam primo die differt à tabu-

lis

fis scr. 4. debet enim esse gr.o.2'5. & diebus 11. & 21. defficit scrupulis duobus à tabulis.

Primo Octobris rectè notas erratum 6. minutorum in ☿ latitudine, debet enim esse gr.o.11.

Primo Nouembris adscribis erratum Maginio in ☿ latitudine scrup.12. dum eã facit gr.o.24'.quam tamen per tabulas inuenio gr.o. 2'5.25''. errat ergo Maginus ad unum minutum, & Scala ad 11. fateor tamen Maginum a tabulis differre die 21.ad scr.5.quod quantum referat alij uiderint.

21. Tandem Decembris, asseris falsam esse ☿ latitudinem in Magino ad 40. minuta: facit enim eam gr.1.4'. quam re uera ex tabulis elicui gr.o. 57'50''. errauit ergo Maginus 6. tantum min. Scala autem 34.

Dicas rogo hic defensor Scalæ uter magis in istis diebus has latitudines malè supputarit Maginus ne, an potius Scala? Profectò Scala hic tuus nimium sibi credit, dum suas calculationes iterare grauatur pro certo habens, se labi non posse. Quam igitur melius existimationi Scalæ consuluisses, si tu uerbum nullum de hac re fecisses.

Venio nunc ad ea refutanda, quæ tu pro defensione Scalæ circa motum solis protulisti, dum constanter denuo affirmas, Scalam solis motum singulis binis diebus ex tabulis subduxisse, non autem ex Magini Ephemeridibus (ut in aspectibus, & latitudinibus fecit) descripsisse; Arguebam autem ex typographi erratis tali pacto. Scala in motu solis à Magino ne per unum quidem minutum unquam differt; & cum in Magino duo sint errata impressionis., eadem inueniuntur etiam in ipsomet Scala, ergo Scala motum solis à Magino transcripsit.

Primum erratum est die 13. Ianuarij 1597. ubi Magini Ephemerides habent gr. 22. 55'. 32''. at Scalæ Ephem. gr. 22.5'6. (cum pro 32. secundis addidisset unũ minutum, siquidem Scala in describendo solis motu semper quando secunda superant dimidium minuti, ea connumerat pro uno minuto, quando autem non attingunt semissem minuti, ea prorsus negligit) sed cum locus dicti diei 13. debeat esse gr.22.56'. 32''. in Ephemeridibus Magini, ideo etiam in Scalę libro oportebat esse gr. 26. 5'7. quod certè ipse adunguem notasset, si illud erratum in Magini codice non reperisset.

Alterum uero erratum est die 2. Augusti eiusdem anni, Ephemerides enim Magini tunc habent gr. 9. 42'. 21''. at Ephemerid. Scalæ gra. 9. 42'. negletis secundis ratione à nobis allata; sed debet esse locus solis in Magino gr. 9. 41'. 21''. quem etiam annotasset Scala si re uera computasset, aut si in Magino typographi causa non erratus fuisset. Dico ergo non esse rationi consonum, Scalam singulis diebus 12. integrorum annorum locum solis nullo errore sicut à Magino notatur, posuisse. offendisse autem duobus tantum in locis, in quibus Maginus, hoc est typographus, qui illius codicem excudit, errauit. quod quidem argumentum verisimilius videri etiam debet, cum hic idem bonus vir omnes aspectus, & latitudines cũ erratis impressoris bona fide transcripserit, quique numeros ipsarum latitudinum, vt iudicaretur, eas supputasse, in tot locis callidè mutauerit. Hoc insuper addo, eandem rationem hic habere locum, quæ ad aspectus, & latitudines Magini describendas Scalam impulerit, ne scilicet inutilem laborem repeteret: probasse enim etiam Scalam Magini laborem in solis motu susceptum, & hoc quidem supputando eius locum ad aliquot dies hinc inde desumptos, credere sibi quisque potest,

sic

fic enim ad fecunda vfque exactisfime à Magino effe fupputatum certior factus fuit.

Non defuit tamen homini verfuto fuga quædam, qua fe tueri credit aduerfus huiufmodi argumenta. Ad primum enim erratum refpondet, cum per computum inueniffet locum folis diei 13. Ian. in gr. 22. 56'.29''.49'''. (fic credo illum uoluiffe fcribere quamuis per errorem calami pofuerit gr. 22. 57'. 29''. 49''.) ideo iure notare potuiffe folem in gr. 22.57'. nec eum pudet ad fuam rationē tuendam falfum folis computum in medium adducere, cum eo die re vera ex tabulis folis locus prodeat in gr. 22.56'.30''.58''.

Non eft ergo Quinquerugi tibi laborandum, vt quo fcalæ opem ferre videaris, falfum folis computum nobis obtrudas, nec vero dicere tibi profit in eodem loco fortuito Scalam offendiffe cum Magino: habeo enim pro me prouerbium tritum, femel malum cenferi femper malum in eodem genere mali.

Non minori quoque induftria à fecundo errato typographico Scalam liberare videris, inquis enim, cum cum primo Augufti folem in gr. 8.44'. & 3. eiufdem in gr. 10.39'. per calculum deprehendiffet, & ex his ad intermedium diem eius etiam locum definire vellet, potuiffe æquè fcribere vel gr. 9.42', vel 9.41', fcripfit autem 9.42', ita cafu quodam (bonè Deus) conuenit cum errato impresfionis Magini ponentis gr. 9.42'.21''. cum debuerit ex computo effe gr. 9.41'.21''. nifi ergo in Magino duo hæc impresfionis errata extarent, daretur differentia inter Magini & Scalæ computum in his duobus diebus ad vnum tantum minutum, in alijs vero diebus nufquam: Prodigij certè fimile in omnibus, etiā in erratis, duos hofce viros inter fe conueniffe. At refponfio hæc quamuis aliquid probabilitatis habeat, facillimè coargui poteft, nam fi ea ratione fuit à Scala pofitus folis locus in gr. 9.42' ad diem 2. Augufti, quia habuerit inter extremos dies primum videlicet, & tertium differentiam inæqualem, oporteret etiam in aliquibus alijs diebus hoc idem accidiffe, cum fæpisfimè inter duos dies oriatur inæqualium minutorum differentia, quæ ipfum ancipitem reddere potuiffet, cur ergo ad eiufdem menfis diem 4. folem notauerit in gr. 11.36'. cum Magino, fi eum notare etiam potuiffet in gr. 11.37'.? eft enim locus diei 3. gr. 10.39'. & diei 5. gr. 12.34'. Similiter cur die. 6. potius fcripfit gr. 13. 32'. cū Magino, quam gr. 13. 31'.? eft enim inter 5, & 7. diem inæqualis differentia quæ itidem in fexcentis ferè locis horum duodecim annorum occurrit, in quibus tamen omnibus ex duobus numeris ambiguis folertisfimus, aut potius fortunatisfimus Scala illum femper elegit, qui cum tabulis, & Magino exactè concordat.

Cæterum neutiquā filentio inuoluendum eft, & tacitæ obiectioni, quam quifpiā Scalæ afferre potuiffet, follerter refpondiffe, quare fcilicet laborem in motu folis inueniendo ab alijs exhātlatum inaniter repetiffet? inquis enim pag. 8.
,, Imo illud de motu Solis cùm ego, tùm alij plurimi poffunt affirmare Epheme
,, rides Magini à Scala vifas tùm primum fuiffe, cum aliquot menfibus elapfis
,, iam Solis motum abfoluiffet, atque lunaris motus computationem aggreffus
,, effet. Miror inconfideratum hunc virum ea nunc negare velle, quæ quàm plu-
,, rimis funt notisfima: nam vt alios taceam, quibus Scala tùm fuo, tùm aliorū teftimonio confirmauit. Magini Ephemerides effe exquifitisfimè ex copernici calculo elaboratas, Afcanium Perfium tum Philofophiæ, aliarumque optimarum artium fcientia, tùm Græcæ linguæ, quam in hoc almo Bononienfi

Gymna-

Gymnasio publicè magna cum laude profitetur, cognitione ornatissimum, virumque integerrimum, in medium tantum producam: cum enim is Patauij Magino familiarissimè uteretur, Scala ipse, qui pauculis illuc diebus aduenerat, cum ipso egit, vt Maginum domi vnà conuenirent, dictitans se eum velle coram cognoscere, & cum tanto viro amicitiam inire, cuius Ephemerides dū esset in patria diligenter vidisse, & Mercurij in cęlo locum cum eo, quem alicubi in suis Ephemeridibus notarat Maginus, contulisse, atque hunc illi adamussim respondere prædicabat. Ex quo deinceps de hisce Ephemeridibus præclare & sentire, & loqui ipse cæpisset; Neque desunt qui Siciliæ nouerunt Scalā Magini Ephemerides crebro in manibus habuisse, inter quos forsan sunt Illustriss. eius Mæcenas, & nobilissimi viri Hieronymus. Septimus, & Petrus Bonnanus. Neque tamen Scalæ esset fortasse difficile his respondere, dicenti se Ephemerides suas iam tum, cum in patria erat, construere incepisse, atq; adeo priusquam in Magini Ephem. incidisset, nisi in epistolis suarum Ephem. apertissime fassus esset, Iosephum Moletium imprimis ad hoc Herculeū opus emoliendum, quem non nisi Patauij nouit, auctorem ei extitisse. Hic ergo Scalæ lapsus negatione apertissimę veritatis grauior profectò factus est.

Iam ad reliquos planetas transeamus, sed antequam de labore, & industria Scalæ, quā in illis adhibuit, dicamus sciri volumus Scalam à principio Ephemerides Magini adunguem descripsisse vel saltem pauca facta mutatione: nā gloriabatur apud excellentissimum Philosophum Iacobum Zabarellam, & alios se Ephem. 25. annorum absoluisse tribus tantum mensibus, & illas ostendebat, quod cum intellexisset Maginus non potuit se continere, quin diceret se pro certo credere, Scalam illas Ephem. à suis descripsisse, seque asserebat ex erratis impressionis illum posse redarguere, & quamquam Scala cognoscere poset errata in motibus reliquorum planetarum: illa tamen, quæ in motu lunæ contigerant, pro certo minimè deprehendere eum posse dicebat absque nouo calculo, quod cum ad aures Scalę delatum esset, ipsum mirum in modum torsit, & à proposito desistere ferè cœpit, nec hoc metu forsan Ephemerides edidisset nisi cum bibliopola transegisset, & ipsi Moletius animos addidisset. Scala igitur post integrum annum editionem suarū Ephemeridum retardauit, quo tempore quam maximam potuit, in lunari motu diligentiam adhibuit, ut non mirum sit si errata impressionis in Magino cognouit, nec tamen ipsum quotidie calculasse lunæ motum est credibile, quia non conuenit locus ☽ cum tabulis singulo die in eisdem minutis (ut ostendemus) sicut accideret, si quotidie eam usque ad quarta calculasset, ut ipse in sua epistola gloriatur. Quod autem non conueniat, afferam aliquot loca anni 1591. quæ notaui conferendo illos tantum dies, ad quos Maginus ex tabulis locum ☽ supputauit, determinauit enim Maginus ex tabulis ad locum ☽ ad primum 11. & 21. diem uniuscuiusque mensis iuxta seriem anni ueteris deinde auxilio centri, & argumenti lunaris ad singulos dies productorum explorauit diurnos motus lunæ ex tabula ab ipsomet condita, ut definiret locū uerum lunæ ad singulos dies, ueluti ab ipso docetur in ultimo canone suarum tabularum, quæ uia in lunari motu à solo Magino inuenta non tam compendiosissima est, quàm tutissima ab erratis insignioribus. Ecce igitur 9. dies ex 36. anni 1591. à Magino computatis, in quibus Scala à tabulis differt, ut per computationes Magini, & per reiterationem calculi percepi.

Dies mensis secundú annú veterem.	Locus ☽ in scala. G	M	Locus ☽ ex tabulis. G	M	11
11 Ianuar.	13	9	13	10	25
1 Februa.	25	1	24	59	53
1 Iunij.	10	19	10	18	28
1 Iulij.	18	30	18	29	24
11 Augusti.	23	53	23	56	19
1 Septẽb.	5	12	5	16	6
21 Septẽb.	17	53	17	54	2
11 Octob.	10	43	10	42	24
1 Nouẽb.	27	33	27	32	24

Si ergo in his 36. dieb. nouẽ dies inueniuntur in Scala differentes à calculo tabularũ, opinandũ est etiam in reliquis diebus multo plures inueniri. Hę quidem differentiæ non sunt alicuius momenti, eas tamen solum notaui, vt ostenderem Scalam singulo die locum Lunæ ex tabulis non elicuisse. Fateor tamen Scalam plures calculationes Lunæ confecisse, & vt litem hanc dirimamus volo etiam tibi nunc cõcedere ipsum lunarem motum quotidie ex tabulis calculasse, quid quæso obtinebis ex hoc? concludes forsan, Scalam maximũ ex hoc fructum studiosis attulisse, & exactiorem esse eius calculum in Luna, quàm sit Magini computus? hoc negabo, & quidem hac validissima ratione vtar. Scalæ Ephem. (vt notaui diligentissime in meo iudicio) non differũt à Magini Ephemeridibus in motu ☽ horum 12. annorũ præterq̃ in 65. diebus (relictis differentijs vnius vel duorum minutorum, vt exigui momenti, in quibus interdum Maginus, interdum Scala à tabulis differt, & relictis etiam erratis impressionis vtriusque) inter has 65. differẽtias dantur 39. trium minutorum, quæ etiam negligi possent, reliquæ vero sunt maioris momenti, in quibus vt plurimum Scala aberrat, & non Maginus, ergo calculus Lunæ in Magino longè exactior est scalæ computo. Quod scala errauerit in octo differentijs ex illis, quæ sunt maioris momẽti tu ipse fateris, quæ sunt hæ.

1589 18 Septemb. ad min. 15.
1590 18 Februa. ad min. 19.
3 April. in min. 6.
18 April. in min. 3.
23 Octob. in min. 7.
1598 29 Maij. in min. 54.
1599 29 Aprilis. in min. 4.
24 Iunij. in min. 5.

Alia quinque errata notabilia dicis esse Typographica, quod negare possem de duobus saltem, pro quorũ deffensione numeros etiam falsos ex calculo (vt tui moris est) profers, vt die 16. Ian. 1592. & die 11. Martij 1593.

Præterea idem Scala labitur etiam in alijs differentijs ad hos dies. 1591. 22. Ian. in scr. 3. est enim per tabulas locus ☽ gr. 26. 13'. 32''. die 21. Augusti in scr. 3. est enim per tabulas Lunæ locus gr. 23. 56'. 19''. die 11. Sept. in scr. 4. est enim Lunæ locus ex tabulis gr. 5. 16'. 6''. 1600. 19. Nouemb. in scr. 4. cum sit ex tabulis Lunæ locus, vt Scala etiam confitetur gr. 10. 37'. 30''. die 21. eiusdẽ in scr. 4. Lunæ enim locus ex tabulis est (teste etiam ipsomet Scala) in gr. 10. 33'. 21''. Tandem 1594. 7. Augusti quamuis notauerim differentiam inter Maginum, & Scalã in 4. minutis, est tamen in min. 56. ponit enim Scala Lunam in gr. 23. 7. V. quæ ex tabulis reperitur in gr. 22. 11'. 28''. vt Maginus posuit, quare hic grauissimus error inter alios maiores referatur.

In his ergo differentijs, quæ superant tria minuta, Scala semper à tabulis dissidet, præterquàm à die 6. vsque ad 10. Octobris 1599. in quibus Maginus abest à tabulis 4. scrupulis, & semel quinque, in reliquis vero differentijs trium minutorum fateor. Maginum multoties à tabulis differre, sed neque semper in

illis

illis Scala cum tabulis cõcordat, nam die 29. Martij differt à tabulis scr. 2. cum Lunę locus sit gr. 9. 4'. 7". ♍ die 12. Martij differt vno minuto est enim Lunæ locus ex tabulis gr. 14. 57'. 44". die etiam 23. Iulij differt vno minuto, inuenitur enim tunc Luna per tabulas in gr. 25. 46'. 39". sic etiã die 16. Octob. 1591. die 28. Noueb. 1596. die 26. Ianuarij 1598. 1. Febr. 1599. die 27. Iunij 1600. non congruit præcisè Scalæ computus cum ipsis tabulis, vt accideret, si quotidie ☽ locum ex tabulis subduxisset.

Patet itaque ex dictis nullam vtilitatem Scalam studiosis in Lunari motu tabulando attulisse, licet autem quàm maximam potuit diligentiam adhibuerit, vt ipse testatur, non tamen, quia plurima committeret errata potuit effugere. Quid ergo dices Quinquerugi, aut tu potius Scala, non ne tutior est via computandi Lunam, quam tenuit Maginus, quam si quotidie eam ex tabulis supputasset, vt profitetur Scala se fecisse? hoc enim Magini compendio facillimè errores alicuius momenti cognoscuntur, vt ipse in suis tabulis docet. Patuit enim nunquàm Maginum in his 12. annis à tabulis magno discrimine differre contra, si quis Lunam quotidie ex tabulis calcularet, in magnos lapsus labi cogeretur: errata enim motus Lunæ ad quadrantem, trientem, vel semissem gradus, vt plurimum cognosci nequeunt habita ratione ad locum diei sequentis, & præcedentis, vt tu ipse fateris. Quid ergo potuit Scala computando Lunæ locum quotidie (vt ipse affirmat, quod tamen non satis constat) si in lapsus graues incidit? Quid ergo ipsi profuit aliorum Ephemerides præ oculis habere, & cum eas à suo calculo discrepare videret, calculum ipsum repetere? Dormitabat certe tuus Scala dum aliorum Ephem. exquisitas ante oculos habens in suis tamen tot errata admisit, quare & nisi illas habuisset multo certe crebrius errasset. Inanis igitur est Scalę labor, & maligni est hominis ea malè conficere, quæ iam rectè ab alijs facta sunt. Perdoluit vobis animaduersum à me fuisse errata hæc maximi momenti ab ipso Scala non item à Magino fuisse commissa, nullumq; alicuius ponderis erratum in Magino his 12. annis à Scala editis deprehendi; quocirca vt ipsum vilipenderes, & indiligentiæ crimine condemnares, confugisti ad annos subsequẽtes à Scala nondum editos, in quibus aliqua errata in lunari motu Magino attribuis, sed hæc quidem nõ impune in medium protuleris: ostendam enim aliqua ex illis esse typographica, reliqua vero pleraq; esse à Siculo commissa. Sunt autem hæc errata ob incuriam typographi in motu ☽ Magini.

1603. 2 Augusti vbi 6. 19. lege 6. 39.
30 Octobris vbi 15. 0. lege 15. 8.
1604. 11 Augusti vbi 7. 18. lege 7. 28.
1605. 5 Iunij vbi 4. 50'. lege 7. 50'.
1606. 29 Nouembris vbi 29. 55'. lege 28. 55'.
1607. 14 Iunij vbi 22. 4'. lege 21. 4'.

Quod vero hæc sint errata typographica patet ex similitudine numerorum, & confirmari potest ex calculo aspectuum ea ratione in nostro iudicio allata, & de aliquibus tu ipsemet fateris. Veruntamen hæc sequentia sunt errata ipsius Scalæ, quæ non erubescis contra Maginum producere.

1603 notas 18 Augusti erratum 11. minutorum in Magino, qui ponit Lunam in gr. 19. 39'. ♍ cum per tabulas inueniatur in gr. 19. 40'. 56". parum ergo differt Maginus à tabulis, & grauius Scala peccat.

 Die

Die sequenti notas etiam erratum in Magino totidem minutorum ponente Lunam in gr. 1.35'. ♒ quę per tabulas est in gr. 1.36'.21". ♒.

Eodem anno die 22. Octob. asseris auctoritate etiam Scalæ erratam esse Lunam in Magino ad 10. minuta, sed falleris cum suo Scala quia per tabulas prodit Luna in gr. 25.5'.26". ♉ & eam Maginus scribit in gr. 25.6'. ♉.

Similiter anno 1604. 17. Ianuarij vsque ad finem mensis affirmas Maginum ☽ motum in 10. aut 13. scrupulis errasse, quod tamen non est verum, nunquàm enim à tabulis differt plusquàm in duobus scrupulis, vel tribus, locus enim Lunæ diei 20. per tabulas est gr. 14.6'.37". & in Magino est gr. 14. 4'. similiter locus diei 23. est per tab. gr. 21.59'.42". & in Magino gr. 21. 57'. & sic de cæteris, quos Scala melius computare poterit. Vide igitur quotnam supersint ex illis erratis, quæ contra Maginum in motu ☽ attulisti (detractis illis typographicis, & illis ipsius Scalę) quæ verè errata Magini sint dicenda? Fateor igitur errasse Maginum ☽ in illis annis, sed huiusmodi errata sunt leuissima, & primum est ad 11. minuta die 11. Iunij 1603. nam cum is fuerit dies primus Iunij anni veteris, ad illum supputauit ipse Lunam ex tabulis in gr. 15.17'. quæ debebat esse in gr. 15. 28'. ex quo factum fuit, vt etiam ad aliquot dies ante, & post ratione diariorum motuum additorum sit Luna ab ipsis tabulis differēs, sed illud erratum semper minus fit, & circa diem 25. Iunij nullum est omnino, sed Luna cum ipsis tabulis conuenit.

Secundum est scrupulorum 5. die 11. Augusti 1605. qui fuit dies primus secundū annum veterem, ad quem supputauit Lunam in gr. 10.46'.56". quæ verè est in gr. 10.51'.44". ex tabulis, quod erratum paucorum minutorum extenditur ad paucos dies ante, & post decrescendo.

Tertium erratum est die 11. Maij, qui fuit primus anni veteris ad scr. 7. Maginus enim ex tabulis elicuit Lunam in gr. 17.47'. 52". ♈ quæ debebat esse gr. 17. 40'.52". ♈, quod erratum perdurat ad decem dies ante & post decrescendo, & non à medio mensis Aprilis vsque ad 27. Maij, vt tu dicis. Nihil igitur mirandum est, Maginum ter in paucis minutis peccasse, cum nullus inueniatur Ephemeridum conditor, qui sæpissimè grauius non peccauerit, sed illud magis admiratione dignum est, Scalam ipsum toties peccasse, & grauissimè, dum alios corrigere studet.

Cæterum illud etiam absque responsione præterire nolui, quod tu ex hoc erratorum catalogo concludere quasi audes, Maginum Lunarem motum in quibusdam annis à Stadio accepisse his verbis. „ Et hinc fortè apparet Maginum „ non computasse motum Lunæ in quibusdam annis, sed eum descripsisse ex „ Ephemeridibus Stadij, à quibus tantum aut adijciebat, aut minuebat à motu „ Lunæ quantum pro suo arbitrio sat esse putabat pro differentia meridianorū, „ sed hoc non affirmo, ne fortè fallens reprehendar. Cum itaque ex his erratis hoc concludas, sequitur secundum tuam sententiam, hoc à Magino factum fuisse in illis annis, in quibus hæc errata notas, sed Ephemerides Stadij ab anno 1595. vsque ad annum 1606. sunt iuxta calculum Alphonsinum, quas ille à Cipriano Leouitio mutuo sumpsit, vt admonuit Maginus in animaduersione sua contra Stadium, & ab illis quotidie, & variè differt Magini calculus non aūt vniformiter, sicut Ephem. Stadij à Leouitianis, quæ in Lunari motu horum annorum continuo differunt in 18. vel 20. minutis, & nunquàm nec pluribus, nec paucioribus ob differentiam meridianorum. Ergo non solum Maginum

ginum Lunarèm motum Stadij non deſcripſiſſe concluditur verum etiam motum eiuſmodi nihil prorſus adiumenti ei potuiſſe afferre ob tàm inſignem diſcrepantiam, calculi Prutenici ab Alphonſino. Cæterū id quod nunc pro certo affirmare noluiſti, multo minus in poſterū affirmabis, cū videbis hæc omnia ferè errata Magino adſcripta tum ipſius Scalæ eſſe propria, tū typographi.

De reliquis verò planetis puto litem eſſe direptam. nam cum fatearis eos ad aliquot tantum dies Scalam ex tabulis calculaſſe, & reliquos dies intermedios ex Magino deſcripſiſſe nulla aut exigua facta mutatione, meæ concluſioni tandem inuitus aſſentiri cogeris, nempe Scalam plerumq; non calculaſſe, ſed Magini calculum deſcripſiſſe quod magis cōfirmatur, cum etiam aſpectus omnes & latitudines ipſum deſcripſiſſe à Magino faſſus fueris, & ita etiam de Solis motu feciſſe validiſsimis argumentis ſuperius ſit à me concluſum, & etiam de capite draconis in meo iudicio, de quo nihil nunc loqui, voluiſti. Quamobrem Scalam Ephemeridum recognitorem potius quàm conſtructorem non eſt quod amplius mirer, ſi eius Ephemerides ad aliquot menſes cōtinuos conueniant exactè nunc in vno planeta, nunc in alio cum Magini Ephemeridibus, poſtquàm à te patefacta eſt mihi tandem illius mira induſtria. nam cum calculaſſet verbi gratia locum ♄ ad primum 11. & 21. diem Maij 1594. inueniſſetq; eoſdem numeros à Magino notatos, iure intermedios dies cum calculo tabularum conuenire coniectauit, cumq; eos adunguem ſic ex Magino acceperit, neceſſariò ad integrum illum menſem Maij vtriuſq; calculus concordabat. Mirum profectò fuit hoc compendium à Scala primo inuentum ad planetas computandos, quod ſi prius à me fuiſſet detectum non tam acerbè inuectus eſſem contra ipſum, quem interdum bonū hominem, interdum morum probitate, & doctrina ornatiſsimum, interdum magnæ exiſtimationis virum, interdum diligentiſsimum, interdum ſummum magiſtrum, interdum peritiſſimum mathematicum, interdum doctiſsimum, & optimum virum recenter (vti bonum diſcipulum decet) nominas.

Poſtquàm ergo Scalam ad aliquot dies cuiuſq; menſis motum quinque planetarum computaſſe, atque omnes intermedios dies à Magino exſcripſiſſe confirmaſti, concludis magnificè, & arroganter, Maginum in reliquis differentijs à me inter vtriuſque Ephemerides annotatis, quas cum calculo nō contuli, peccaſse, & proinde veriſsimos eſſe Scalæ computos, quoniam ad veritatem ita accedunt, ac ad lapidem Herculeum. Ita ne? præclare. Atqui cum hic vir abutens otio inanem hunc laborem planetas denuo per tabulas computandi ſubire non ſit veritus mirandum neutiquàm eſt, ſi interdum Magini Ephemerides à tabulis differre ad pauca minuta in quibuſdam diebus deprehenderit; nam nullus vnquàm fuit Ephemeridum compoſitor, qui ſemper cum tabulis cōcordet, examina igitur aliorum Ephemerides præteritorum annorum Regiomontani, Stœfleri, Gaurici, Pirati, Simi, Carelli, Leouitij, Meſtlini, & tandem Reinoldi tabularum Prutenicarum conditoris, in his enim omnibus videbis apertiſsimè nullum eorum Magini diligentiam ſuperaſſe, imò nec adæquaſſe, quod citra omnem iactantiam dictum ſit, & non vt ipſum cæteris Mathematicis præſtantiorem eſſe concludam, ſed vt confirmem ipſum maiorem alijs diligentiam in hac ſaltem parte præſtitiſſe, quia præ cæteris forſan hac Ephemeridum conſtructione delectabatur, ex quo multa, eaq; perutilia compendia adinuenit, quibus vſus fuit ad Ephemerides cito, & recte fabricandas,

nulliq;

nulliq; labori pepercit in construendis diuersis tabulis, quæ huic labori mirò modo inseruirēt à nullo ante ipsum elaboratis, ne dicam excogitatis, excipio hic tamen vnum Scalam, qui adeo fideliter in calculo se gessit, vt omnem veritatē attigerit, quàm nec Maginus, nec quisquàm alius hactenus assecutus fuit, si placet superis. Sed videamus quæso num Scalæ Ephemerides adeo prçstātes sint, vt illis Magini merito anteponi debeant, aut vt rectius, & verius loquar, an Ephemerides Magini sint à Scala ita recognitæ, vt exactiores prodierint, quàm prius à Magino sint editæ. Dico igitur in calculo aspectuum longè exactiores esse illas Magini, quia vltra integras horas à Scala tantum descriptas continent etiam minuta: In motu latitudinis præstant etiam illæ Magini, cum hunc motum Scala ab illis desumpserit facta quadam mutatione absq; calculo, vt supra monuimus: Motum deinde Solis diligentius à Magino notatur in gradibus, minutis, & secundis, qui à Scala ad minuta tantum describitur: calculus vero capitis draconis in vtroque semper in ijsdem minutis cōcordat: Præterea cum in Luna (vt vidisti) nunquàm Maginus differat à tabulis vltra duo, vel tria minuta, nisi à sexto ad decimum Octob. 1599. vbi quatuor & quinque circiter minutis abest, & cum è conuerso Scala tot errata grauia commisserit, vt supra tum in nostra censura prius edita patefecimus, ideò concludi verisimè potest, longè Magini calculum antecellere in motu Lunari, qui præceteris magnificiendus est.

Cæterum motum Saturni fateor à Scala esse recognitum in anno 1589. trium, quatuor, & quinque minutorum, & mense Aprili 7. itemq; in Ianuario 1590. minutorum. 5. in Martio, & Augusto min. 4. In Maio, Iulio, & Decembri mi. 3. deinde in Aprili, & Maio 1593. min. 4. sic etiam in Augusto, & Octobri 1599. min. 3. & in Septembri min. 6. sed & Scala quoq; in Nouemb. 1593. motum ♄ vsque in 6. minutis, & mense Iunij 1599. errat circiter secundis, & tribus minutis per aliquot dies, nam locus diei 4. notatur à Scala 9. 56. ♎, & per tabulas constat in gr. 9. 53′. 27″. ♎, vt à Magino ponitur.

Motum etiam Iouis expurgauit Scala ab erratis duorum, & trium minutorum ad aliquot paucos dies anni 1589. & 1590. & ad diem vltimum Decemb. 1599. & in Ianuario 1600. in quibus asseris maxima rabie oculatissimum meum Argon Maginum lapsum fuisse. Huis de re nihili quantas excitas tragedias, de formica, vt aiunt, Elephantum.

In motu etiam Martis Scala Ephemerides Magini ab erratis duorum trium, & quatuor, & interdum quinque minutorum vindicauit in aliquibus diebus commissis: maior enim differentia nunquàm inter eos animaduertitur, & etiam ad paucos dies, sed non ideo semper in differentijs à me notatis Maginus à calculo dissentit, sed interdum Scala ipse, & quia doles, me non omnes differentias motus Martis fideliter annotasse ideo eas hic repeto.

1589	1591	1593	1597
Ianuarij min. 3.	Iulij min. 4.	Iulij min. 3.	Octob. min. 3.
Februarij min. 5.	Augusti min. 5.	Augusti min. 5.	Nouemb. min. 3.
	Octobris min. 3.	Septemb. min. 5.	
1590	1592	1597	1599
Iunij min. 3.	Martij min. 3.	Febr. min. 3.	Decemb. min. 3.
Iulij min. 5.	Aprilis min. 4.	Septemb. min. 4.	
	Maij min. 5.		

Posui

Posui in mea censura differētias aliquas anno 1594. quæ re vera sunt anni 1597. nec aliæ differentiæ in motu ♂ ad hos annos inueniuntur, quæ excedant duo scrupula, quare falsò alias reperiri his verbis asseris, quæ fusius explicare, atq; excutere decreui.

Sed his addere debebas mēsem Martij 1589. mensem Augusti 1590. (In Martio 1589. datur differentia vnius tantum minuti ad paucos dies, & in Augusto datur diff. 2. minutorum ad sex tantum dies, quàm semper, vt leuem neglexi) nam licet dixeris in Augusto differentiam esse ad 5. minuta debebas pergere vsque ad 6. Septembris, & à secundo, vsque ad finem Octob. nam in his mensibus erratum est à Magino in 5. & 4. minutis. (Hæc verba non possunt referri nisi ad annum 1591. in quo non datur differētia in Sept. nisi ad duo minuta in duobus primis diebus, & in Octobri non datur differentia, nisi duorum, & trium minutorum, in quibus semper aberat Scala, non autem Maginus, sed si loqueris de anno 1590. falsum quoque dicis, quia in Septemb. & Octob. non inuenitur differentia nisi interdum vnius minuti): sed dum retulisti de Octobre, non dixisti cum hoc errore Maginum properasse vsque ad aliquos dies Nouembris. (Si intelligis de anno 1590. dico in Nouemb. non dari differentiam nisi vnius minuti, si verò de anno 1591. dico etiam, esse tantum differentiam ad diem 6. duorū minutorum, & in aliquibus alijs diebus vnius minuti.) Sed omnino prætermisisti mensem Februarij, & Martij anni 1592. vbi erratum est à Magino in 4. minutis. (In Februario est solum differentia ~~secundo~~ duos minutorum ad vltimos dies, & min. 3. ad quinque primos dies Martij, quam posui.) Sed quid dices de mense Aprilis, & Maij anni 1592. vbi peccatum est à Magino in 4. & 5. minutis; quos tu penitus neglexisti? (Dico eos à me in mea censura non neglexisse, & tua conspicilia nō bene tibi deseruisse.) Ita quoque mensem Februarij anni 1597. & Adscripsi illas differentias anni 1597. quæ referri debebant ad annum 1594. vt supra admonui. Sed cur tu veritatis cultor non dixisti illas differentias ad annum 1594. in meo discursu notatas nō dari? Cur deinde non dixisti etiam in Septembri eiusdemmet anni 1594. esse differentiam min. 4.? forsan quia vidisti per calculum ibi Scalàm errasse ad 6. minuta? Reliquis verbis contumeliosis non respondeo, namq; eo dicendi genere, in quo conuitijs mecum pugnas, tibi facile concedo, sed
„ dum dicis, computa obsecro has differentias, & cognosces
„ erratas non esse in Scala, sed in tuo Magino. non possum tibi morem non gerere, quare computaui omnes illas differentias, & in alijs quidem cognoui errasse Maginum, in alijs vero Scalam, is igitur, vt supra diximus, errauit mense Octobris duobus ac tribus circiter minutis, ponit enim die 27. locum ♂ gr. 1. 11. qui per tabulas est gr. 1. 14′. 3″. vt à Magino notatur, & cum per aliquot dies ante, & post in duobus, & tribus scrupulis à tabulis differat, concludi posset non calculasse ♂ singulis quatuor diebus, vt ipse fecisse profitetur. Anno etiam 1593, mense Septembris dupliciter Scala lapsus est. primo enim die 20. aberrat locum ♂ sex minutis ponens eius locum in gr. 4. 25′. ♓, qui per tabulas inuenitur in gr. 4. 18′. 46″. à quo parum Maginus dis-

Dies	Scala	Mag.
	M	M
17	11	10
18	11	9
19	1	9
20	11	8
21	11	7
22	6	6
23	5	6
24	4	5
25	5	4
26	2	3
27	2	3
28	2	2
29	1	1
30	0	0

ſentit, ponens gr. 4. 20. ſecundo aberrat in ordine diariorum motuum, qui ordinatim non decreſcunt, vt hic videre eſt. A principio verò vſque ad diem 17. Scala à Magino non diſcrepat ne vno quidem ſcrupulo, quãuis numeri Magini non ſemper cum tabulis conſentiant, ſed in aliquibus diebus vno minuto differant. Qua ratione igitur ♂ decreſcere ſolum vno ſcrupulo poteſt à die 19. ad 20. ſi ad duos dies ante & poſt decreſcit 11. ſcrupulis? Qua lege tam ſubito de 11. ſcrupulis mutat motum ad 6. ſcrupula? Elicere ſatis probabiliter hic poſſem, Scalam Martis locum non computaſſe ſingulis quatuor diebus, nam in hunc lapſum non incidiſſet, computaui etiam dies 17. 19. 21. 25. & eos inueni ſic ſe habere.

Dies	In Scala		In Mag.		Per tabulas.		
	G	M	G	M	G	M	11
17	4	48	4	48	4	45	44
19	4	26	4	29	4	27	15
21	4	14	4	12	4	10	41
25	3	48	3	48	3	47	8

Anno etiam 1597. in Septembri lapſus eſt Scala vſque ad tres ſcrupulos ponit enim locum ♂ ad diem 22. in gr. 27.2'. ♊ qui deberet eſſe gra. 26. 58'. 59''. ♊ vt ex tabulis elicitur, & ſic rectè ponit Maginus.

Eodem anno in Octobr. notatur differentia ſcrupulorum. 3. Sed non ideo Maginus tot ſcrupulis à tabulis diſſentit, die enim 30. eſt locus ♂ gr. 10. 41'. 1''. ex tabulis, differens vno min. à Scala, & 2. à Magino.

Tandem anno etiam 1597. die 11. Decembris Scala aberrat in ♂ ſcrup. 3.

Quid dices ergo ſi Scala quoque in aliquibus ex illis differentijs abeſt à tabulis? Video vel te confugere ad inopinatos caſus, vt feciſti in excuſando errore motus ♀ anni 1600. vel te dicere non eſſe mirum, Scalam ex tot computationibus in aliquibus aberraſſe, ſed hæc reſponſio valdè friuola eſt; nam cùm Scala profiteatur ſe peritiſsimum in calculo eſſe, & minimam etiam differentiam curaſſe, & aliorum Ephemerides ante oculos habuiſſe, & examinaſſe, vt quando differentiam in illis inueniret, calculum poſſet repetere, oportebat ipſum Ephemerides adeo exactas in lucem emiſiſſe, vt nunquàm vno ſcrupulo à tabulis diſsideant. Sed de Magino non eſt mirandum, ſi interdum à tabulis tribus, vel quatuor minutis differat: hanc enim differentiam non adeo magnifecit, quia nullius, aut certè perexiguę vtilitatis eſt, magniq; laboris, ac moleſtiæ. Sed circa ♂ hæc ſufficere volumus cõcludentes, eum exquiſitiorem non haberi in Scala, quàm in Magino, ſi harum minutiarum ratio habenda ſit, quæ tamen ab omnibus pęnitus negliguntur.

Ad motum Veneris nunc deueniamus, in quo nulla alia reperitur differentia (vt tu ipſe etiam fateris, & quilibet videre poteſt) niſi à 6. Febr. ad 15. anni 1589. minutorum 3. & anno 1590. 3. & 4. Apr. min. 3. & in Auguſto min. 6. & in his Maginus peccauit: deinde de anno 1592. Ianuarij die 17. min. 4. die 18. min. 3. die 19. min. 4. die 20. min. 5. die 21. min. 3. & tribus alijs diebus min. 2. In quibus omnibus neuter præcisè cum tabulis concordat, die ſiquidem 17. tribus minutis abeſt Maginus à tabulis, & Scala vno, die 20. tribus etiã minutis abeſt idem Maginus à tabulis, & Scala duobus, die 21. exactè Scala cum tabulis conuenit non tamen die 10. vbi differt ſcrup. 3. Maginus vno tantum: eſt enim locus ♀ ad illam diem in gr. 22. 39'. 15''.

Temerè igitur exprobraſti me illas differentias tantum in medium attuliſſe, quę cauſæ Magini faueant, cum etiam in quibuſdam alijs differentijs à me tum

præ-

prætermiſsis etiam ipſe lapſus ſit. Non poſſum etiam hic me continere, quin reſpondeam verbis quibuſdam (dabunt veniam lectores) inquis enim. Sed
„ dum examinaſti diem illum 10. nõ animaduertiſti Gazane dupliciter erratum
„ eſſe à Magino, primo errauit in computatione: nam per totum menſem errat
„ in quatuor, & 5. min. ſecũdo in die illo 20. errat in ordine: nã motus abſq; pro-
„ portione ſcripſit, licet in illo die magis accedat ad veritatem, quàm in antecedentibus, & ſequentibus. Reſpondeo igitur primum te egregiè falli dicentem. Maginum aberrare per totum menſem ad 4. & 5. minuta: nam non apparet differentia inter vtraſq; Ephemerides niſi die 18. & 21. ſcrupulorum. 3. & die 17. & 19. ſcrup. 4. & tandem die 20. ſcrup. 5. In quibus omnibus diſsidet Maginus à tabulis ſcrupulis tantum tribus: præterea die 10. differunt vtriuſque Ephemerides duobus circiter ſcrupulis, quorum neuter cum tabulis concordat, ſed Maginus differt vno minuto, Scala autem tribus, vt ſupra diximus: ſimiliter etiam die 16. & 22. differũt ſcrup. 2. in reliquis diebus ſemper conueniunt. Ob variationem igitur trium ſcrupulorum in quinque tantum diebus dixiſti Maginum aberraſſe per totum menſem in 4. & 5. minutis, quamuis te veritatem ſemper colere profitearis?

Ad ſecundum dum dicis Maginum ſcripſiſſe motum ♀ ſine ordine, & proportione, dico te ſimiliter decipi, atque ita potius à Scala fuiſſe factum, vt videre eſt hic conferendo diarios motus vtriuſque à die 10. quo ♀ fit directa, in finem menſis, vbi patet Maginum ordinatè motum ♀ tabulaſſe, non autem Scalam, nam qua ratione facit ille ♀ directam die 9. ſi die 10. regreditur in ipſius Eph. per vnum minutum? vide etiã quo ordine reliqui motus diarij ſe habeant in Scala: nam ad diem 15. creſcit diarius motus tribus ſcrupulis, ad diem 16. nihil, & ad diem 17. quatuor ſcrupulis, & ad diem 20. decreſcit. Qua lege hoc factum eſt, aut quo fundamento? hæc fieri conſueuere ab ineptiſsimis, & oſcitantibus, qui aliorum labores, ne ipſi laborent, tranſcribere ſolent. Parcat itaque mihi Siculus ſi hoc loco ad Magini defenſionem oſtendam ipſum nullo adhibito iudicio planetarum motus interdum deſcripſiſſe, quamuis etiam eos ex tabulis ſingulis quatuor diebus ſupputauerit, Si igitur Scala computauit motum ♀ hoc menſe Ianuarij ad primum 5. 9. 13. 17. 21. 25, & 29. diem, & inuenit locum ♀ in Magino deficere vno minuto à calculo tabularum die primo, & excedere vno minuto die 5. quare intermedijs diebus 2. 3. & 4. addit vnum minutum numeris Magini? Debebat recta ratione addere vnum minutum die ſecundo, die autem tertio, nihil, ſed die 4. detrahere vnum minutũ: deinde ſi tam die 5. quàm die nono, inuenit abundare calculum Magini vno minuto, quare intermedios dies accipit à Magino abſque immutatione vlla? Præterea ſi die nono, abundat calculus Magini vno minuto, & die 13. concordat cum tabulis, quare Scala auget lo-

Diarij ♀		
Dies	In Mag	in Scala
	M	M
10	1	1 Retr.
11	3	3 Dire.
12	5	5
13	7	7
14	9	10
15	11	12
16	13	15
17	16	15
18	18	19
19	20	21
20	22	20
21	24	23
22	26	25
23	27	27
24	29	28
25	31	31
26	32	31
27	33	33
28	35	34
29	36	36
30	37	37
31	37	38

cum diei 10. duobus minutis, errando tribus minutis? si igitur diem 10. acce-
pisset à Magino demendo vnum minutum, verum ♀ locum exactissimè nobis
exhibuisset: rursus si locum ♀ inuenit die 17. in gr. 23. 32'. 21''. vt tu asseris, «
quare scripsit in Ephem. 23. 33.? nã 21. secunda potius negligenda erant quam «
computanda pro vno minuto, sed hoc nihil etiam sit; deinde si ad diem 13. nul- «
la est differentia inter ipsos, & die 17. est 4. minutorum, quare alterauit ♀ vno «
tantum minuto ad diem 15. & duobus ad diem 16. cum tamen recta ratione
debuisset adijcere numeris Magini vnum minutum die 14. duo die 15. tria die
16.? postremo si die 17. deficit à tabulis Magini computus scru-
pulis 3. (quãuis Scala faciat quatuor) & die 21. totidem etiam,
quare intermedios dies non descripsit Scala addendo tria mi-
nuta, vt ratio expostulat, sic enim exactissimè ad vnum vsque
minutum ♀ motum restituisset? sed die 18. addit min. 3. die
19. min. 4. die 20. min. 5. ab errando 2. minutis locum diei 20.
qua ratione hoc inquam est ab ipso factum? Respondes impu-
,, dēter his verbis. Et Scala ideo errauit in duobus minutis, quo-
,, niam hic dies non erat in ordine suarum computationũ. Nam
,, is computauit motum ♀ singulis quatuor diebus, & semper
,, incepit à primo Ianuarij, quare computatus fuit à Scala 17. &
,, 21. dies Ian. & 17. inuẽtus est motus ♀ in gr. 27. 32'. 21''. ♓ &
,, in 21. in gr. 24. 47'. 58''. ♓ quæ computationes differunt à com-
,, putationibus Magini in 5. minutis eiusdem rationis, vnde per
,, ordinem Scala adiecit diebus intermedijs Magini 5. minuta,
,, & dies 20. quia alteratus erat in ordine in Magino, vbi erant
,, adijcienda 5. minuta debebant adijci 3. sed tantum abest, vt
,, is inter errata Scalæ tribuatur, quantum Magino potius ascri-
,, bendus est, credo te intelligere Gazane, non fabulas refero,
,, neque Deorum monumenta, sed veritatem, quàm tu semper
,, in hoc toto tuo iudicio iugulare tentasti. Falsò dicis, compu-
tationes dierum 17. & 21. differre à numeris Magini. 5. minu-
tis, differunt enim 3. tantum, neque etiam verum est, Scalam
diebus intermedijs inter 17. & 21. addidisse numeris Magini.
5. minuta, vt superius diximus, nec ideo debuerat illo die 20.
Scala errare, quia non fuit ille dies in ordine suarum, compu-
tationum, si rectam rationem seruasset. Addo etiam locũ diei
21. non esse sicut ponis gr. 24. 48'. ex tabulis, sed 24. 47'. quare
Maginus differt duobus tãtum minutis à tabulis. Ecce autem
Ephemeris ♀ correcta ea ratione à nobis exposita quæ si cũ
numeris Scalæ conferatur, apparebit ipsum aberrasse etiam
duobus minutis die 4. & in alijs etiam diebus vno minuto præ-
ter illa errata, quæ superius protulimus. Vides ne acutiora te-
la nostra sint tuis insulsissimis contumelijs. Pergamus iam
ad reliquas differentias motus. ♀

[illegible]	♀	
	♓	
Dies	G	M
1	24	14
2	23	54
3	23	36
4	23	21
5	23	9
6	22	59
7	22	51
8	22	45
9	22	41
10	22 di	39
11	22	40
12	22	44
13	22	49
14	22	57
15	23	7
16	23	19
17	23	33
18	23	49
19	24	7
20	24	26
21	24	47
22	25	10
23	25	35
24	26	2
25	26	31
26	27	1
27	27	33
28	28	6
29	28	40
30	29	16
31	29	53

Præter iam expositas datur etiam alia differentia ad 9. Decemb.
1599. min. 3. & errauit Scala forsan typographi causa, & tãdem
ad annum 1600. datur differentia 8. minutorum, quo in loco
tuus Siculus lapsus est, vt etiam fateris; Vnde cum ♀ à die

20. Ia-

20.Ianuarij vſque ad 8.Febr. ob vnũ errorem typographicum in Magino non benè perceptum falsò ſemper notata ſit, ſequitur, Venerem ibi, & forſan alibi ſingulis 4.diebus à Scala non fuiſſe ex tabulis ſupputatam.

Concluditur itaque ex his à nobis dictis certiſsima ratione Veneris motum longè correctiorem haberi in Magino, quàm in recognitore Scala. Reſtat, vt vltimo Mercurij quoque motum examinemus.

De Mercurij motu notatæ fuere 86.differentiæ in noſtra cenſura inter vtraſque Ephemerides, quarum 38. ſunt trium minutorum. 28.ſunt quatuor minutorum. 9.ſunt 5.minutorum, quatuor ſunt min. 6. Tres ſunt min. 7. Tres etiam min.8.& vna minutorum 9.noluique tempus contere in examinandis per tabulas differẽtijs trium, & quatuor minutorum, quia nullius prorſus ſunt momenti, præſertim cum Maginus has differentias nunquam dum calcularet, magnifecerit; aliæ vero viginti à me examinatæ fuere, non quia ſint alicuius ponderis, ſed vt exquirerem tãtum veritatem, & inueni re vera in quibuſdam Maginum à tabulis abeſſe, quæ ſunt hæ.

Anno 1589.ad duos primoſdies Aug.min.5. anno 1590.min.6.die quinto Auguſti, ſed die quarto, Scala quoq; errat in duobus minutis, eſt enim locus ☿ per tabulas gr.19.25'.53". Anno 1591.min.5.ad diem 18.Febr.1592.In April.circa diem 18.vſque in 6.min.1594.circa finem Maij, & Iunij initium in 7.vel 8. min. Sed circa etiam 11. Maij errat quoque Scala tribus minutis: ponit enim die 11. ☿ in gr.9.36.qui ex tabulis eſt 9.38'.51". ♊. 1595.die 5.tantum Auguſti in 5.min.& die 6.Sept.in 6.1596.die 20.Maij, & prius quinque diebus Sept. in 5.minutis, & die 20.min.9.1597.Maij in duobus diebus min.7.& in aliquibus alijs minus. 1598.die ſolum 22.Iunij min.5.& 1600. In Aprili ſemel in 5. minutis. Hæc itaque ſunt Magini errata: ſed Scala quoque in his locis pariter errauit, qui vt plurimum diarios etiam motus perturbat.

Anno igitur 1591.aberrat Scala in Ianuario 8.min.vt fateris. Anno eodem die 22.Iunij deceptus etiam fuit in computatione ☿ 10.min.vt in noſtro iudicio diximus, atque excerpſi diarios motus vtriuſque, vt conſtet quàm inconſideratè Scala ☿ ibi in tabulam redegerit.

Anno 1593.circa diem 25.Ianuarij lapſus fuit diligentiſsimus Scala vſq; ad 6.minuta, ponit enim ☿ in gr.23 40'.≈ cum ex tabulis ſit in gr.23.34'12".& cũ die 26.ſit in gr.24.35'.8". ponit eum in gr.24.38'.ex quo conijcitur, ipſum etiam proportionem diariorum motuũ peruertere, cum in ipſo non ſeruet proportionatum ordinem decreſcendi, vt videre cõferendo cum Magini motibus, vt hic.

Dies	Scala	Mag.
12	1 43	1 43
13	1 41	1 42
14	1 40	1 40
15	1 37	1 38
16	1 36	1 36
17	1 33	1 34
18	1 35	1 32
19	1 31	1 29
20	1 30	1 27
21	1 28	1 24
22	1 18	1 21
23	1 17	1 18
24	1 14	1 15

Anno quoque 1595. deceptus eſt circunſpectiſsimus Scala in 5.minutis, dum die 16.notat ☿ in gr.15.20'.qui per tabulas prodit in gr.15.25'.3". vt a Magino ponitur.

Anno 1596.Ianuarij 17.halucinatur quoque Scala in 5 minutis, & Maginus in tribus, & ſimiliter mẽſe Auguſti eiuſdem anni decipitur Scala in 5.minutis, vt aliàs diximus, aberratq; grauiter in ordine diariorum motuum, vt hic apparet.

Alia Scalæ errata, quæ tribus ſcrupulis maiora ſint non inueni, cum ab examinandis differentijs trium, & quatuor minutorum abſtinuerim, ne tempus in re

Diarij motus in		
Dies	Scala	Mag.
15	1 28	1 29
16	1 26	1 27
17	1 26	1 25
18	1 23	1 23
19	1 20	1 20
20	1 18	1 18
21	1 16	1 15
22	1 12	1 12
23	1 11	1 8
24	1 6	1 4
25	0 58	1 0
26	0 56	0 56
27	0 51	0 52
28	0 47	0 47
29	0 42	0 42
30	0 37	0 37

leui contererem, sed necessarium est etiam in motu ☿ duobus, tribus, & quatuor minutis plerumq; esse erratum, eo quia ☿ est velocissimus cursu, nec Scala obseruat proportionem diariorum motuum, errata tamen nonnulla duorum, & trium minutorum obseruaui in Scala, dum calculationes Magini ad primum, & 16. diem cuiusq; mensis secundum annum veterem cum Scalæ numeris contuli, quę secundum annum correctum respondent 11. & 26. diebus: Maginus enim singulis quindecim diebus ☿ ex tabulis supputauit, & ad intermedios dies ope tabulæ diarij motus apparẽtis ☿ definiuit, & quoniã illa tabula à Magino inuentore fuit absque secũdis cõdita non sine maximo labore, & industria, haud mirandum est, si dum ea vteretur in paucorum minutorum erratis lapsus est non tam imprudens, quàm potius negligens. Sunt itaque errores Scalæ ad hos dies. 1589. Iunij 11. scr. 2. est enim locus ☿ gr. 7. 48′. 3″. ♊ 1590. 26. Ian. scr. 2. est enim per tabulas gr. 19. 16′. 17″. ♍ 1591. 26. Febr. scr. 2. per tabulas enim inuenitur gr. 25. 8′. 39″. ♓ 1593. 26. Ian. scr 3. locus ☿ est gr. 24. 35′. 3″. ♒ de 11. Augusti scr. 2. locus eius est gr. 22. 35′. 57. ♌. 1594. 26. Martij scr. 2. est enim in gr. 28. 4′. 14″. ♓ ex die 11. Maij scr. 3. cum sit locus eius gr. 9. 38′. 51″. ♊ & die 11. Octob. scr. 2. est enim in gr. 6. 22′16. ♎ 1596. 11. Iunij scr. 2. locus eius est gr. 25. 10′. 8″. ♈. 1599. 26. Febt. scr. 3. cum sit locus eius gr. 3. 59′. 21″. ♓. 1600. 26. Aprilis scr. 2. locus enim ☿ gr. 18. 2′. 11. ♉ & die 11. Sept. scr. 2. locus enim ☿ est gr. 14. 57′. 50. ♎. Has itaque supputationes reiterare non grauatus fui, præsertim cum radices Magini ad illos dies habuissem.

Diarij motus in		
Dies	Scala	Mag.
15	1 5	1 3
16	1 1	1 2
17	0 59	1 0
18	0 58	0 57
19	0 58	0 53
20	0 47	0 48
21	0 39	0 43
22	0 35	0 36
23	0 27	0 28
24	0 19	0 19
25	0 11	0 12
26	0 3	0 3

Vide nunc an inuenire potuerim alios errores, vt negasti his verbis? Cum non
„ potueris adinuenire plurimos errores in Scala, quid fecisti? inter alios dies à
„ te examinatos quoniã satis criminationibus vacabas, inuenisti in 2. Iunij pec-
„ catum esse à Scala in duobus minutis, & à Magino in eodem die peccatũ esse
„ in quatuor minutis, & apud me, & suspicor apud omnes non paruæ esse admi-
„ rationis quod adduxeris in tuam causam roborandam tuum errorem, signum
„ & argumentum patentissimum est, te alterum non adinuenisse errorẽ in Sca-
„ la, nisi hunc duorum minutorum.

Admiror certè te magnos excitare clamores hic, astutissimeq; dissimulare causam, propter quam notaui in meo discursu, illum diem 2. Iunij, in quo neuter cum tabulis concordat in ☿ & sic diem 20. Ian. 1592. in quo vterque in ♀ à tabulis dissidet, atque ignosco tibi ita furenti, nam cũ haud inficias iuerim Scalam multas calculationes fecisse pag. 14. & alibi, atque pagina 22. protulissem in differentijs Ephemeridam vtriusque à me notatis, vt plurimum aberrare Scalam, & interdum cum tabulis concordare, & interdum neutrum cum tabulis ipsis conuenire, non fuit à meo proposito alienum, differentias illas examinatas,

natas, in quibus vterque à tabulis dissidet proferre, vt ab re potius fuit, se eo intemperãtiæ hic progressum esse, quippe qui hæc à me esse hic posita ob aliorum erratorum Scalæ inopiam affirmaueris. Sed vt tandem huic liti finem imponamus, in motu ☿ non est ambigẽdum, vtrum Scalæ, an Magini numeri sint emaculatiores, nam etsi crebrius in maiori differentiarum ☿ copia Scala ad tabulas accedat, quàm Maginus, nihilominus ob perturbatum sępe diarium cursum in Scalæ numeris Magini computum potius admittendum esse audacter pronuncio. Relinquamus nihilominus candido lectori liberum iudicium, vt ijs quæ disputata sunt à nobis accuratè perspectis, ferat sententiam, an Scala Magini Ephemerides ita castigauerit, vt eę, quas ipse tanquàm meliores edidit, ijs re vera magis exquisitæ prodierint, necne, atque aliud caput aggrediamur à nobis initio propositum, in quo apertissimè ostendemus, nullum fuisse operępretium, vt suas Ephemerides Scala typis mandari curaret.

Quæ vero fuerit causa, quæ Scalam impulerit ad hoc opus moliendum, & publicandum à te instanter scire per velim? Negas hoc fuisse ab ipso factum quęstus
„ causa, dum dicis circa initium tuæ responsionis. Somnium etiam aliquod pro-
„ ferre potuisses, quando doctissimis, optimiq; viri nomen non vereris inficere
„ quæstus suspicione eam ob causam; quam neq; tibi exploratæ esse tu ipse tuis
„ verbis confessus es. Quid hoc est? Inficiaris tu igitur, quod nuper Scala non negauit Antonio Persio, cum de meo iudicio sunt collocuti, quem non solum ob singularem quam plurimarum scientiarum cognitionem, verum & ob summam vitæ integritatem ipsemet Scala testem esse fatebitur omni exceptione maiorem? Quod etiam grauissimus ac celeberrimus vir Hieronymus Mercurialis nonnullis affirmauit, se cum illo transegisse, vt 25. Ephemeridum annos in gratiam iunctarum conscriberet, à quibus mercedem caperet aureorũ quinquaginta? Sed donius hanc non fuisse veram, aut præcipuam causam, videamusq; an alia fuerit vel sola, vel cum hac coniungenda, cognosces enim, me illam causam non sine maxima modestia leuiter tetigisse, vt quàm possem abstinerem ab ijs, quæ extra rem nobis institutam commemorata Scalam offenderent; Nulla certè alia causa potest quempiam ad Ephemerides construendas impellere, quàm altera harum duarum, vel quia nullæ Ephemerides secũdum correctiores, & vsitatiores tabulas ad illud tempus habentur, qua sanè causa omnes ferè Ephem. conditores permouētur, Scala excepto, cum iam extarent Magini Ephemerides iuxta correctiores tabulas nostri temporis, vel saltem quia ad illud tempus Ephem. ab alijs malè supputatę sunt quamuis iuxta vsitatiores tabulas. Hanc causam mouisse Maginum patet ex animaduersione illius contra Stadium: fortassis igitur dices, hac eadem Scalam per motum fuisse, vt non obscurè ex epistolis suo operi præfixis colligitur, sic enim ille in nuncupa-
„ toria. Illi persuaserunt hanc esse vnam viam, & laudis, & honoris rem litera-
„ riam iuuare, in ea arte, in qua quis sese exercuerit excellere, eius dignitatem,
„ ac maiestatem ab hominibus imperitis contaminatam vindicare &c. & paulò
„ infrà. Quid quæris? digna res mihi visa est, in qua contenderem omnes ingenij mei neruos. Scalæ itaque digna res visa est. Ephem. hoc tempore post alios edere, vt scilicet huius artis dignitatem, & maiestatem ab hominibus imperitis contaminatam vindicaret, hic enim diligentissimus vir in arte supputandi mirificè præ cæteris pollens minimarum fractionum emendatissimum opus enuclearet, & vt linceis oculis præditus ea tandem vidit in planetarum

cal-

calculo, quæ alij præ intellectus imbecillitate attingere non potuerunt. O fœlices Astronomiæ professores, quibus tantū opus versare manibus datum fuerit? O fortunatissimam ætatem hanc nostram, quæ tantum virum edidit? Hæc fortè ratio, quæ ex superins dictis elicitur Astronomiæ ignaris imponere posset, sed peritis viris non video quomodo fucum faciat, cum exigua, & prorsus aspernanda differentia Magini calculus à tabulis recedat, idq; perquàm rarò, vt ob eam non fuerit necesse nouas Ephem. condere, imò nec illas castigare.
,, Sed dices. Scala opinabatur Ephemerides Magini non esse exactas, nec ipsi
,, potuerant alio quouis modo constare computationes Magini, nisi computas-
,, set; quare non illi superuacaneus fuit labor, nam si aliquo modo constaret, is
,, nullo modo profecto computasset. Hæc loqueris præcisè pag. 22. Sed quã nam ob causam nunc Scalæ non probabantur Magini Ephemerides, quas olim Ascanio Persio, & alijs præstantissimas esse prædicauerat? cur soli ipsi suspecti erãt Magini labores, qui ab omnibus tanto cum applausu, & cum auiditate excipiebantur, vt nemo ignorat? Putabat Scala tot celeberrimos nostræ ætatis professores decipi? legit ne vllum vnquàm in suis scriptis de ipsis malè sentientem? audiuit ne aliquem de indiligentia Magini conquerentem? nisi fortassis vnum Moletium de Magino potius malè loquentem, quàm non benè sentientem: verum illius viri testimonium Scalæ suspectum esse debuerat, cũ apud Maginum legisset Scala ipse Moletij epistolam Ephemeridibus Magini præfigendam, in qua industriam illius non leuiter extollit, quam quidem epistolam etsi Maginus iustis de causis imprimi noluit, ea tamen apud ipsum seruatur, & à multis lecta fuit. At specta quæso quanta cum indignitate Scalæ hoc factum sit, cum nihil apertius eius arrogantiam indicare possit: vidit Scala Maginum ex editis Ephemeridibus magnam retulisse laudem, ac gloriam, idq; (eo est ingenio præditus) non ferendum existimauit, ipse itaq; solus inter tot præstantissimos Mathematicos nostri temporis Ephemerides Magini carpere ausus est, & corrigere tẽtauit, ipse inquam solus voluit inter strepere quasi anser inter olores: non ne existimabitur hoc ambitionis, & inuidentiæ manifestum argumẽtum? quam tamen ipse contemnenti similis dissimulare artificiosè conatus est: sed aberrauit toto cœlo: quid enim poterat magnificentius Magini industriã, atq; diligentiam confirmare, quàm hic Scalæ conatus? sit à me nunc tibi, disputãdi gratia, etiam concessum Scalæ licuisse experiri, an Ephemerides Magini correctione aliqua indigerent, cur ergo cum deprehendisset, motum Solis, & Lunæ præsertim esse ritè supputatum, ab hoc inani labore non supersedit, vel saltem cum periculum fecisset in omnibus planetis pro vno, vel duobus annis? Alio fortassis mens Scalę spectabat, non vt planetarum motus ab exigua differentia castigaret, sed vt differentia aliqua per computum, & interdum sponte patefacta, iudicaretur, se nouum, & correctissimum opus studiosis exhibuisse: nã cum Scalæ suspectæ sint copernici hypotheses, vt videre licet in epistola ad lectorẽ suis Ephemeridibus præfixa, trium vel quatuor minutorum differẽtiam in calculo illo, quem à cœlo integris gradibus differre dubitauit, curare non debuerat. Sed apertius vide Scalæ imprudentiam: hic enim gloriosus vir, ea quæ ab alijs multo iam antea probè facta sint arroganter in lucem protulit, quæ si re vera non post, sed eodem tempore, quo Maginus, cõstruxisset, tamen cum aliqua gloria ea publicare non posset. Ecce huius rei exemplum. Cum Ephemerides Stadij secundo æditæ ad annum tantum 1576. perduraret, cępit Michael
Mestlinus

Mestlinus Mathematicus celebertimus posteriores annos computare putans pro certo fore, vt Stadius ab illo labore in posterum supersederet, sed quo tem pore Mestlinus suas Ephemerides absoluit, posteriores Stadianæ in lucem pro dierunt, ex quo vir ille ingenuus suas publicare nullo pacto volebat, quas nihilominus prælo commisit iustis per motus de causis, vt ex ipsius epistola nuncuparoria his verbis colligitur.

Cum autem eas iam volebam prælo committere: ecce tum demum ex Heydel-
,, berga ad me scribitur, quod Stadij Ephem. iam dudum editæ fuerint. Quibus
,, visis ego has meas lucubrationes reliquas non publicandas, sed ne actum age-
,, re videar supprimendas duxi. Verum cum diutius cunctor viri aliquot Claris-
,, simi in omni doctrinarum genere celeberrimi me in proposito fortiter persi-
,, stere iubēt, & vt promissis stare, fidemq; Academiæ vestræ datam liberare, &
,, etiam literariā Remp. multorumq; desiderium his meis lucubrationibus non
,, defraudare velim, vrgere incipiunt. Horum igitur tantorum virorum crebras
,, monitiones aspernari cùm arrogantis, & instati nolle satisfacere inuidi, & in-
,, grati iudicarem: in sententiam eorum concessi, idque eò facilius, quod vidi
,, (cuius etiam illi ipsi me monebant) præstantissimi Mathematici Ioannis Sta-
,, dij labores istos posteriores paulò negligentius, quàm priores, quibus nihil ta le intentari potest scriptos, & excusos esse &c. Si ergo Mestlinus parum studiosis satisfacere dubitabat ea publicando, quæ prius ab alijs facta sunt, exiguāq; gloriam inde reportare credebat, multo secius operam nauasset constructioni horum laborum, si consimiles exactè supputatos in lucem vidisset. Itemque si Mestlinus tot annorum Ephemerides in lucem misisset, quot Maginus, cuius Ephem. vltra Mestlinianas producuntur ad annos 30. proculdubio Maginus suas non publicasset, vt ipse fassus fuit in sua responsione ad Franciscum Iunctinum, quamuis etiam inter eos in illis 10. annis ab vtroque editis differentia aliqua intercedat. Iure igitur quàm minima gloria tuo Scalæ debetur ob editas Ephem. quæ à Magino multo antea, & correctiores, & copiosiores, & plurium annorum in lucem emissæ sunt, quinetiam cum Scala aspectus, latitudines, motum Solis, & capitis draconis à Magino adunguem descripserit, nulla illius facta mentione, quæ sanè omnia totius operis Scalæ dodrantem ferè absoluunt, & cum supputatis quibusdam tantum diebus in reliquis planetis omnium intermediorum dierum motus ab eodem Magino mutuauerit, & cum tandem introductionem Moletij illis adiūxerit, omniaq; hæc pauco suo labore, breuiq; absoluerit, vtpote trium mensium spatio, vt ipse Scala affirmauit, non solum nihil gloriæ emeriturus est, sed potius impudentiæ, arrogantiæ, inuidentiæq; notam non leuem contracturus. Vide ergo an scopum verum causæ editionis Ephemeridum Scalæ attigerim, & caue in posterum, ne ansam præbeas aduersarijs ea publicandi quæ ab ipsis modestè prætermissa fuere.

Hactenus è tribus illis capitibus, quæ initio à me proposita sunt, duo absolui, vltimum superest, quod breui persequar, ea scilicet tantummodo refelendo, quæ tu extra causam, & institutum de Magino, & me ipso intemperantissimè effudisti, quibus potius tuam, & Scalæ effrenatam maledicendi libidinem significasti, quam vt famam, & existimationem nostram labefactaueris. Quod igitur ad initium tuæ responsionis attinet, nostræ tu causæ illudis, asserens te parū studij in ea defendenda posuisse, sed admiror equidē, & admirabūtur omnes, te adeo esse rationis inopem, vt verbis illud persuadere studeas, cuius cōtrarium operibus

ribus confirmasti dum illi meæ censuræ paucis diebus post edita Scalę Ephem. in lucem emissæ elapsis iam decem integris mensibus tandē aliquando respon disti, quod quidem fecisses intra mēsem, si leuis accusatio nostra fuisset, vt ego tuæ huic respōsioni quamuis multis curis distratus facillimè ac paucis diebus rescripsi. Quis porrò non satis intelliget tibi multum hanc causam exhibuisse negocij; dum semper in ijs conuicijs mecum digladiaris, quæ à ferio iratis hominibus effundi soleat, ac neglectis præcipuis meæ cēsuræ capitibus, vt aliquid dicere videreris, quædam leuia, & à proposito aliena ita exageras quasi in ijs totam victoriam constituas quæ omnia callidè à te facta sunt, vt lectoris animum in meas reprehensiones intentum aliò statim traducas.

Quod etiam dicis, multos sapiētes viros Mathematicarum peritissimos Patauij affirmasse meam censuram nullam mereri responsionem hoc ijs omnibus testandum relinquo, qui vt literis Magino, & mihi à multis fuit significatum in hanc sententiam concesserunt, vt dicerent illi meæ cēnsuræ responderi cū fundamento nullo pacto posse, hoc tamen libenter tibi concedo, contrarium Scalæ fuisse relatum à familiaribus, & amicis suis consolandi eius causa, vt fieri solet. Præterea significasti in tua nuncupatoria, te præcipuè ad rescribendū per motum fuisse, non quòd mea censura in prudētium virorum senatu legeretur, sed quia timeres, ne cum esset vulgari sermone conscripta, imperitorum aures impleret, & occuparet. Ego hoc consilio illam censuram sic edidi, vt solum à doctis uiris intelligeretur, sed etiam ab Astronomiæ curiosis, quibus, quia linguam Latinam non calleant, communicatę fuerunt Ephemerides Italicè conscriptæ à Carello, Moletio, Magino, & vltimo tandem à Scala. Verum tu sagacissimè huic malo succurristi Latinè mihi rescribendo, ne scilicet imperiti linguæ Latinæ Astronomiam profitentes, & in Ephemeridum vsu versati, tuam intelligerent responsionem: nam cum hi videant se respondisse, nec tuā respon sionem intelligant, putaturi saltem sunt, te quantum satis sit Scalam defendisse. Itaque tua te argumentatione tanquam proprio telo iugulasti.

Suspicaris deinde pag. 1. Maginum mihi auctorem extitisse vt Scalam accusarem,
„ & ob id illum his verbis acerbissimè reprehendisti. Ego verò mirari satis non
„ possum, Maginum adeo immemorem beneficiorum fuisse, ne dicam ingratū,
„ vt venerit illi in mentem peritissimo Mathematico Scalæ scribæ nomen inde-
„ re. An non vetera cum Scala Patauij habita colloquia recordātem suffundi pu
„ dore oportuit, cum istud Gazani Iudicium legit? Meministi ne Magine ab hoc
„ viro te plurima Patauij didicisse? Tu ne is eras, qui à scriba te velles edoceri?
„ Tenes memoria explicatā tibi fuisse Patauij à Scala Theoricam octauæ sphę-
„ ræ secundum copernici hypotheses ad normam, & rationem Ptolemęi prout
„ habebatur in hypothesibus orbium cœlestium cuiusdam Peceeri professoris
„ Mathematū in Academia Argentoratensi? Nonne is fuit, qui aditum scriben-
„ di tuæ cupiditati nouas planetarum theoricas secundum Copernicum aperuit
„ (ò fęlix qui eas intelligit) & cur amabo non erubesco te autorem earum fe-
„ cisse, dum Peucerus in suis hypothesibus, prius ad Ptolemęi normam eas rede
„ git? Quem Peucerum inquis? quas hypotheses orbium cœlestium? num
„ quæris illustriorem notam huius Peuceri? num me vis clarius eloqui? dicam
„ planius. Illius Peuceri dico hypotheses, à quibus omnes ferè canones, seu pla-
„ netarum theoricas Maginus in suis tabulis depinxit, exquo scriptore etiam il
„ lam eandem, de qua modo dixi, octauæ sphęræ theoricam, quam Scala inter-

pretatus

pretatus fuerat, in suis tabulis Maginus exscripsit, &c. Sed quis negabit hæc verba esse tibi à Scala dictitata, ad quē meū nunc sermonē cōuerto? Te igitur Scala, & si de facie nunq̃ noui, mihi tñ à uiris integerrimis, qui te intimè nouerunt, ita fuisti descriptus, vt te satis superq; norim, te inquiunt ipsi magnificè de temetipso & sentire & loqui: neque vllū maiore odio prosequi, quàm eū, qui ad gloriam ac laudē eodem tecū desiderio, ac cursu ferri videatur. Ne mihi igitur succēseas si à te coactus modo ostendā, te ab re cū Magino cōtendisse sic quidē hæc omnia, quæ à te ad existimationē tuā augendam, Maginiq; laudem imminuēdam sunt prolata pęnitus, vt minus rectè dicta coarguā. Gloriaris à te Maginum plura didicisse, ac primū quidē, te octauæ sphęræ theoricā ipsi explicasse à quondam Peucero editā, & ab eodemmet Magino in suis tabulis exscriptam. At quàm à vero aliena sint, quæ protulisti, vel id argumento esse potest, te Patauium aduenisse, & Maginum cognouisse post editas eius tabulas, quæ in lucē prodierunt anno 1585. Kal. Febr. quo tempore Maginus Romæ quintum iam mēsem cōmorabatur, nec Patauiū reuersus fuit nisi mense Iunij, eiusdem anni, quem cognouisti, vel sequente ęstate, ni falsus sum, vel saltē eadem. Cum autē Maginus primū tibi suas tabulas impressas ostendisset in suis ędibus, cui te desiderio teneri Copernianas hypotheses intelligendi declarasti, cūque ab illo petijsses, vt motum octauæ sphęræ, de quo magna fuit semper dissentio inter Alphonsinos, tibi enuclearet, rñdit se non dum exploratā habere motus illius rationem, quàmuis enim in suis tabulis sequutus esset hypothiposes Peuceri absq; nomine anno 1573. Coloniæ ęditas, nihilominus eas erroribus scatere suspicabatur, & præsertim in motu illo octauæ sphęræ, quod cū intellexisses Maginū rogasti, vt illius viri hypothiposes, & opus reuolutionum Nicolai Copernici nunq̃ à te antea visum tibi mutuo daret, vt hanc materiā attētius contemplari posses, spetabas. n. eam rectè perceptumm, quadam verò die ad Maginum reuersus ipsi duos circellos papyraceos exhibuisti, quibus motū octauæ sphęræ ad mentē Peuceri saluare conabaris. Hæc est ergo vera huius rei historia, & extant adhuc, vt scis in bibliotheca præstantissimi Philosophi, & æterna memoria digni comitis Iacobi Zabarellæ tui illi duo circelli, quos Magino vt dixi obtulisti, in quorū vno octauā sphęrā signasti, in alio nonā, sicut ponitur à Peucero, ne negare possis, te illū motū sic non intellexisse, quod etiā hic fateris, & illi circelli à Magino seruabantur, quia in ijs à tergo scriptū erat schęma tuæ geneseos. Gratias ergo tibi aget Maginus, quod nūc saltē non dixeris octauæ sphęræ theoricam ab ipso primū excogitatā tuum fuisse inuentū, sicuti ante illius editionē gloriabaris. Nō ne meministi, cum primū ad te delatū fuit, Maginū suas theoricas publicare velle te subito, vt eū qui in omniū ore quocūq; nomine esse studes, multis Patauij affirmasse, ipsum aliā octauæ sphæræ hypothesin non esse editurum, quàm illam, de qua tu ipsi pagellam illā attulisti, ac statim subdidisse, te eandē theoricā fusius cōscripsisse, eamq; esse quā primum euulgaturū? quod cū audisset Maginus confestim exemplar suæ theoricæ comiti Iacobo Zabarellæ exhibuit, simulq; tuos illos circellos ex papiro confectos: rogauit autē Maginus Iacobū Zabarellā, & Antoniū Persium, vt tibi suo nomine referrent, ut exēplar etiā tuæ theoricæ (si illā scripsisses) ijs dares, quo possent à peritis uiris inspici, & conferri, certus. n. erat Maginus oēs animaduersuros suā hypothesin octauæ sphæræ esse longè à tua, diuersam, & illius rōnem esse ab ipsomet primū excogitatā. Cur ergo si illā scripsisti, illis non ostēdisti,

aut saltem in lucem nō emisisti prior Magino, qui æditionem suarū hypothesium protraxit in multos menses, postq; ea, quæ iam cōmemoraui facta essent? atqui non solum qnātū satis esset temporis tibi erat oblatū, vt illas ęderes, sed & vt integras elaborares. Supersunt huius rei testes post obitū Zabarellæ Antonius Persius, Paulus Aicardus vir in omni doctrina politisimus, Gaspar Pignanus, & alij, imò vbi Persius ipse (repugnante quasi Magino) vos vnà reconciliauit apud bibliothecā Galignanorū tunc Magino fassus fuisti testibus nonnullis cōibus amicis, te malè loquutū de eo fuisse ea de causa, qm̄ & ipse dictitaret te eius Ephem. à suis exscripsisse. Ergo vox hęc tua semel saltē victa est, cū ea non præstiteris, aut præstare nō potueris, quorū expectationē in animos hominū cōmouisti. Non ergo verum est te theoricā Peuceri Magino declarasse cū. n. illa absurditatibus vndiq; scateat, satis apertè colligitur, te uerum octaui orbis rōnem nunq̄ percepisse, quā primus omnium Maginus, secundū Copernici obseruationes mutatis hypothesibus aperuit, dicebas prӕterea, vt mihi fuit relatū, te rectè percipere motum polorū terræ in via Copernici ad instar intortæ corollæ, quē triū circellorū positione saluari affirmabas, quod cū sanè nullo pacto te præstare posse post editos Magini labores didiceris merito obticuisti in posterū, doctus aliud esse magnificè loqui, & magna polliceri inter familiares, aliud scribere, & peritorum iudicijs sua scripta subijcere.

Illud quoque de Magini theoricis non silebo, quod cū tu eas æquo animo ferre non posses iam editas, atq; vt falsas carpere nequiuisses, eas saltē obscurè esse scriptas significasti, vbi dicis (ò fœlix, qui eas intelligit) & insuper enixè contendis esse primo conscriptas à Peucero, atq; adeo hanc rem exageras, quasi reuera nulla inter illos sit differentia, sed furtū aliquod Maginus fecerit, nec sciri voluerit, theoricas olim esse ab ipso Peucero conscriptas. Vehementer ergo errasti si laudem vllam Magini theoricis deprimendis quæsijsti, nunc enim patefaciam, te nulla innixū ratione loquutū esse, & ad hanc contentionē adductū esse, quandoquidē Maginus ipse non solū fatetur theoricas planetarum fuisse prius ad mentē Ptolemęi, & Copernici à Peucero conscriptas, verum etiam tribus integris paginis in epistola ad Lectorem de ijs sermonē habet, vbi profitetur, se ex illis (quas in multis esse falsas primus omniū cognouit) occasionem habuisse suas illas construendi, & publicandi, atq; etiā ostendit insignē discrepantiam, præsertim in motu octauæ sphęræ, Solis, & Lunæ, in quibus cum illis Peucerianis nullam similitudinem ac conuenientiam suæ theoricæ habent: tantum ergo abest vt Peuceri theoricas obiectās Magini existimationi aliquid detraxeris, vt potius ei plurimū addideris, cū iam satis constet ea tradidisse Maginum, quæ nec Peucerus vir alioquin doctisimus, Mathematicusq; peritissimus præstare valuit, nec tot alij præstantisimi Mathematici (quod pace eorū sit dictū) tentare egresi sunt; quis enim vnquàm de vario octauæ sphęræ motu saluando vllum verbum edidit, secundū Copernici obseruationes, nisi supposita mobilitate terræ, & quiete stellati orbis? solus Maginus totā illam motus varietatem mira facilitate complexus est addita vndecima sphęra: differt igitur potisimū theorica octauæ sphæræ Magini à theorica Peuceri numero superiorū sphęrarum, qui a Peucerus probauit antiquā Alphonsinorū opinionē ponentium decem sphęras, Maginus autem vndecimā introduxit. Peucerus facit æquinoctialē cum suis polis mobilem, & eclipticam stabilem, quod quidem maximum est absurdum. poli enim mundi mutari nequeunt, cū super ipsos pri

mus

mius motus fiat: contrà, Maginus eclipticam mobilem facit, non autē æquinoctialem. Adhæc decipitur Peucerus, dum putat fieri motum polorū mundi ad instar intortæ corollæ per duos tantum circellos circa vtrunq; polum ad duas librationes, æquinoctiorū nempe, & obliquitatis zodiaci efficiendas, nā ex illis sequitur mutatio tantū obliquitatis zodiaci, nec tamē progressui stellarum fixarū adaptari possunt, in quibus omnibus tu quoq; Scala cū Moletio in suis tabulis Gregorianis deceptus fuisti, cū profiteār is, te huius viri theoricam amplexatum fuisse. In motu etiā Solis, & Lunæ tantum differunt Magini theoricę ab illis Peuceri, vt in nulla re conueniant, quo ad suppositionē, & ordinationem orbium, & incommoda quædam non leuia ex Peucero in Sole, & Luna sequuntur: quid etiam præstiterit Maginus in reliquis planetis, & præsertim in motu latitudinis præter Peucerum, & alios, diiudicent candidi lectores.

Illud non tacebo, cum tu die quodam dum esses in ædibus Magini, vidisses inter eius libros canones Astronomicos Orontij in planetarū theoricas cōscriptos, cœpisti extollere verbis illius viri diligentiam, & vt quantum in ea cognitione esses consequutus Magino ostenderes quædam circa æquationē centri, & Argumenti Veneris ex Orontio ex prompta magnificè ostentare cœpisti nō prouocatus à Magino, sed sponte tua. Hæc ne pro fiteberis fortasse Magino declarasse? quasi eo ingenio præditus ab omnibus non cognoscaris, qui soleas sępenumero, vbi minime opus est, ingeniū & doctrinam tuam venditare. non enim dispicis, an auditores intelligant ea, quæ dicturus sis, necne, an pariter ac tu eadem rectè perceperint, sed id vnum laboras, vt nomē aliquod apud alios inueuias, vt tuum scire, sciat alter, vt poetæ illius verbis vtar: disputare ergo solitus eras cū scholasticis longè aliud profitentibus etiā de rebus Mathematicis, & Astronomicis in vijs publicis, in plateis, atq; interdum amicis tuis deambulando per loca publica designabas manibus in cœlo cœlestes sphęræ circulos, vt circunstantes risu se continere non possent, in muris quoq; delineabas figuras Geometricas, vt ex his nomen potius vani inueneris, q̄ sapientis Mathematici. Quid? nunquàm à tuis amicis proposita fuit quæstio, quam tu ad res Mathematicas callidè non traduxeris. Meminisse potes, cū Venetijs nobilissimi, & ingeniosissimi viri quidam tibi nonnullos mirificos lusus ex aleis proposuissent: tu vero cogitabundus, & quasi abreptus in ecstasim effudisti, te omnes illos lusus rectè percepisse, & illorū causam ratione Mathematica, & Philosophica inuestigasse, adinuenisseq;, ob quam rē risum maxima vi continentes, ac tàn quàm serio tecū agentes, tuā mentē nouis quibusdā iniectis quæstionibus torserunt, multa etiam alia huius tuæ conditionis testimonia habeo, quæ vt notissima præsertim Patauij prætermitto, hoc vnum tn̄ miror, cū tu omnia ferè, quę cū Magino egisti, non tacueris, qūo tibi exciderit illud etiam, quod illi semel affirmasti, nempe te demonstrationem adinuenisse ad tollendum incōmodum illud, quod aliqui ob ingentem Veneris Epicyclum sequi falsò putant.

pectato etiam, quò amor tui nimius te traxerit, vt dixeris cū Magino apud Angelum Mattheacium primarium in almo Patauino Gymnasio iuris ciuilis interpretem te loquutū fuisse de rebus opticis, ac de secūda propositione octaui Vitellionis. Recordare bone vir te ante illud tempus nunq̄ Vitellionem, aut Alhazenū vidisse, sed tum rudem esse penitus Opticarū rerum ipsi Mattheacio confessum fuisse in Episcopio Patauino apud collegiū Doctorū, vbi vnà cū eo, & Magino uersabare, dum scholasticus quidā, cuius ipse Mattheacius erat pro-

motor doctoratus insignia susciperet,cũ à te ipse petijsset, an vnquàm legisses apud aliquem auctorem, quo in speculo cõcauo sphęrico fiat Echo, testabatur enim doctissimus ille uir se præsente id Hectorem Ausoniũ medicum ac Mathematicum clarissimũ præstitisse Venetijs, cũq; dixisset,se theoricam speculi concaui ab Ausonio conscriptã habere,ipsum rogasti enixe,vt & tibi illã communicaret,ac simul mutuo daret Vitellionẽ, & Alhazenũ nunq̃ à te antea uisos,ut materiã hanc (sicuti aiebas) speculorũ diligenter cõtemplarere. Quod uero hoc tpe tantũ in optica, & specularia polleas, ut de speculis scripseris, id nõ aduersatur ijs,quæ uera prædico,quatuor enim anni post illud tẽpus elapsi sunt, quo interuallo, & opticam, & alia commodè addiscere potuisti. Cæterum ea, quæ de speculo sphęrico à te elaborata polliceris te editurum non ob illam,quam dixisti causam à te elucubrata sunt,sed in gratiam Hieronymi Porri, qui theoricam illam Ausonij mandare typis ęneis cupiebat.

Quod postea dicis Maginum ingenuè de se testatum esse, se in Ephemeridibus,& tabulis cõdendis adeo fuisse occupatũ, vt omnibus Mathematicæ partibus tantum operæ nauare nõ potuerit,quantã oporteret,fatetur & id ipse,imò ne hoc quidem tpe se iactat peritissimũ esse Mathematicum,ut tu te ipsum facis,cum talis esse nequeat quisquàm,nisi in grauescenti ætate, à qua Magino ipso longius abes. Profitetur tamen Maginus, se aliquod nomen ut cõpararet saltem inter mediocres nulli labori pepercisse,utq; etiã de studiosis harũ disciplinarũ benè mereretur,in quorum gratiã præter edita opera,alia etiam molitur,quæ non minus ipsis grata fore sperat;vtq; alia taceam propediẽ Deo dante editurus est nouũ opus de Quadrantis,ac Quadrati Geometrici vsu, in quo ostendet ope horum instrumentorũ omnia, quæ ad metiendas magnitudines attinent,facillimè nos posse consequi, quæ cætera omnia instrumenta sumptuosa, & paratu difficilia præstare solent,multaq; hic erunt ab eo nunc primũ inuenta, quæ & demonstrationibus Geometricis confirmantur; nec tamen suos labores Maginus vulgari sermone conscribit, vt postea in latinũ idioma ab alijs vertantur, vt tu nullo nixus argumento aliàs fecisse significasti. testes.n.habet quamplurimos tùm aliorum,tum etiã eorũ,quos nunc vrget, tu vero,quod in hac rñsione fecisti fecisse alios in suis scriptis iudicasti.hactenus.n.nihil, quod tuum dici possit,edidisti. Quapropter pro certo habeo studiosos potius Magini operibus,doctioribusq; omnibus,q̃ tibi soli de ipso potius male loqueuti,q̃ sentienti,credere velle, ijsq; probari sapientiam,ac prudentiam Illustriss.Senatus Bononiensis, qui eum ad Mathematicas publicè in Bononiensi academia profitendas multis alijs peritissimis Mathematicis eum locum petentibus cõduxerunt. Quod ni fecissent,erat quoq; alibi ipsi idem paratus honor,nam & paulo post,quã sese illi amplissimo Senatui obstrinxisset,accepit literas à Guerino Pisone Soacio primario iuris interprete in almo Pisarum Gymnasio,quibus ad docendum in eodem Gymnasio Mathematicas oblato tercentorum aureorum stipendio vocabatur. Nosti porrò & tu,neminem posse eodem tempore in pluribus proficere,cũ in Medicinæ, Philosophiæq;, quarum gratia Patauium te contuleras,laurea suscipienda immeritam potius doctorum benignitatem,quam solitum,iustumq; rigorem expertus fueris.Non negat præterea Maginus se sempet de te Scala rectè loquutum fuisse,vt sui moris est,qui lõgè alio ac tu ingenio præditus est, quippe qui affirmaueris nonnullis amicis, te adeo esse ad maledicendum natura propensum, vt etiã si Magino te plurimũ debere

co-

cognoueris,cõtinere te tñ non possis,quin de ipso malè loquaris;quod tamen cõringisse solum postq̃ Ephemeridibus operã nauasti, certior factus sum. nam antea Maginũ ipsum summis laudibus extollere solebas, & frequẽter eũ domi officij causa inuisebas,atq; inter cætera cũ ipsum quodã die conuenisses enixe rogasti,vt sua præsentia fauere vellet cuidam Siculo doctoratus insignia suscepturo,affirmastiq; ipsi nihil ab eo vobis gratius fieri posse, q̃ vt testis in priuilegio illius scriberetur,idq; hac de causa,vt cõstaret, illũ familiariter esse vsum Magino,cuius nomen in Sicilia percelebre esset. Non est ergo, vt tu Maginum ipsum in te ingratum, ac tuorum in eum beneficiorum immemorem fuisse arguas, eo scilicet nomine, quod conscriptam à me in tuas Ephemerides censuram publicare mihi permiserit. talia.n.ac tanta à te beneficia non accepit, vt tibi idcirco ꝑmittere debuerit suos labores,& exscribi abs te,& ad eius famam minuendam publicari, quamq̃ potius te ipse beneficijs affecit, nam de te semper,& commodè sentijt,& vt par erat loquutus fuit postq̃ eius contubernio familiarirateq; abs te optata vti cępisti,semperq; studuit abs te gratiam aliquam inire,tibi libros qualescunque amicissimè mutuo dedit,quinimo manuscripta etiam aliqua sibi admodũ cara,& nulli vnquàm cõmunicata tibi soli,vt exscriberes,concessit,ex quibus postea nonnullum captasti lucrum apud Illustrissimum Marchionem Roccellæ, vt à quodã amico,cui hoc dixisti, delatũ ad me fuit. Quare Maginus hoc ingratitudinis crimine, quo nullum grauius esse iudico,accusandus non erit:tu autem ferre nõ potuisti Maginũ ob editas Ephem. aliquam gloriam reportare, sed & tu illas præter omnium expectationẽ edere voluisti,& tales tuas esse prædicare,quæ cæteris anteponi deberent,ꝙ fanè nullo pacto facere debebas.nam præterquàm quod te præstantissimum (vt re vocas) Mathematicum maiora scribere dicebat, nõ Ephemerides,quæ nullã ferè Mathematicorum, insignẽ artem,& doctrinã declarare possunt,vt tuã sententiam vsurpem,debuerat etiã te ab hoc consilio auocare,studiorũ inter vos similitudo, amor & beneuolentia Magini erga te, beneficiaq; ab ipso in te collata.

Non præteribo Maginum nihil à Mestlino,& Stadio sumpsisse,vt eum fecisse autumas,cum dicis impossibile illi fuisse Ephemerides componere, nisi quotidie ante oculos horum Ephemerides haberet,cui.n.impossibile præterq̃ ei,qui regulas Astronomicorum canonum rectè non perceperit? Maginus autẽ non solum rectè percepit,verum omnẽ posteritatem maxima sui cum laude regulas illas editis secundorum mobilium locuplecissimis tabulis erudiuit. Sed quæso cuiusnã Ephem. Maginus vidit ab anno 1606.vsque ad annum 1630.quousque ipsius Ephemerides perueniunt,cum Stadianæ desinant in annum 1606.nã in hac secunda suarum Ephemeridum editione, quæ propediem expectatur,habebuntur decem anni supra annum 1620. Quid ipsi quæso profuit Ephemerides Stadij ab anno 1596.vsque ad annum 1606.ex Alphonsinis Leouitij Ephemeridibus desumptas ante oculos habuisse (desinentibus Mestlinianis in annum 1590.) cum tanta sit inter Alphonsinum, & Prutenicum calculum differentia,& præcipuè in his vndecim annis,vt in Sole,& Luna vnius fermè gradus in Saturno vnius gradus cum quadrante,in Ioue duorũ ferè graduum,in Marte & Venere quinque circiter graduum,& in Mercurio interdum decem ac septem graduum cum triente discrimina deprehendantur. Obseruent studiosi differentiam insignem Ephemeridum Magini à Stadianis ab anno 1581. vsq; ad annum 1606. pro singulis Planetis diligentissimè in animaduersione eius

contra Stadium annotatam. Notent etiam, in quibus differant Magini Ephemerides à Mestlinianis in subsequenti tabella, ex qua arguitur vtrunque illorum verè supputasse.

Differentia ab Ephemeridibus Mestlini.

1581. Die 11.Feb.min.10. in ♀ 16.Sept.diff.min.5.in ♃ 15.Sept. min.13. ☿ 6.Nouemb.min.5. ☿ in fine Decemb.in ♂ min.5:

1582. 5.Ianuarij min.7. ☿ 23.Febr. ♀ min.10.Mar.28. ☿ min.10.9.Apr.m.6. 18.Apr.min.8.20.Apr.min.7.die 27.28.min.12. ☿ die 9.Maij ♀ m.7.die 4. ☿ min.17.die 23. ☿ min.8.die 26.m.20. ☿ in fine Iunij in ♃ m.7.24.Iun. ☿ 6.min.Iulij 1.m.7. ♃ in fine Iulij m.7. ☿ 23.Aug. ♂ min.6.2.Aug.m.10 24. ☿ min.12.Sep.4.min.7. ♃ die 19.min.8.in ♂ vlt.Nouemb.min.6.in ♃.In fine Dec.in ♄ min.5.in princ.min.6.in ♃ 24.Dec.min.13. ♂

1583. 1.Ianuarij ♄ m.5.Maij 7.m.12. ☿ die 18.facit saltum in ☿ vnius gradus & corrigit se die 24.8.Iun.m.5. ☿ 8.Iulij m.6. ☿ die 7.m.7.in ♃ 30.Aug. m.8. ☿ 5.Sept.m.7. Merc. die 28. Octob.m.10. ♂ 1.Nouemb. ♂ min.7.10. Decemb.in ♃ 6.die 21.Decemb.min.8. 18.Decemb.in ☿ min.10.

1584. Feb.in ♃ m.5.in princ.die 6.m.9.in ♃ 24.April.m.9. ☿ vlt.Maij m.6.in ♃ die 8.m.10. ♀ 1.Iun.in ♃.7.die 25.min.26.in ♂ & die 27.min.12.in ♂ min.9.1.Iulij vlt.Sept.min.5.in ♃ 1.Sept. min.5. ♀ Octob.1. in ♃ min.5. die 5.Nouemb.m.9. ♂ 1.Dec. ♂ min.6.

1585. Ianuarij 10.in ♂ m.15.in ♂ 1.Feb.m.9.in fine Maij in ♃ m.5.18.Maij m.6.in ♀ Iunij 3. ♂ m.7.die 16.Iun.m.7. ♀ die 29.Iulij in ♀ m.19.die 30. m.8.Aug.16.m.5.in ♃ die 19.m.7.Sep.die 6.m.6.in ♀ die 29.Dec.m.9. ☿

1586. Die 14.Ian.m.8.in ♃ die 30.m.10.in Merc. die 13.Iun.m.8.in Merc.die 10.Iulij m.6.Merc.die 20.m.8.Mer.die 27.Aug.m 8. ♃ die 7.m.6. ♂ die 22. min.7.Merc.1.Sept.min.7.Ioue die 18.min.17.Mercur.die 24.min.8.Merc. die 29.min.11.die 8.Octob.min.6.Merc.

1587. Iunij 16.m.5. ♀ vlt.Feb.m.14. ♀ die 18.m.11.Merc. Mar.1.m.9. ♀ die 28.Apr.m.6.Merc.die 26.Iunij m.7.Merc. die 23.Iulij m.9. ♂ die 4.eiusdē min.8.Merc.28.Aug.min.7.Merc.Nou.die 5.min.6. Ioue die 14.m.6.Merc. 1.Decemb.min.6.Ioue.

1588. Iunij 17.m.10.Ioue die 9.Merc.m.11.28.Apr.m.7. ♀ Maii 4.m.8. ♀ die 12.Aug.m.7. ♀ die 25.eiusd.m.7. ♀ die 11. Aug. m.6.Merc. Sept.7.min.6. Ioue 24.Decemb.min.7.Merc.

1589. Die 21.Iunij m.6. ♂ 7.Martij m.10. ♂ Apr. 12. m.8. ♄ 2.Maij in Merc. 7.die 26.m.6.Mer.die 22.Iul.m.6.Mer.19.Nou.m.7.Mer.13.Dec.m.7. Mer.

1590. Die 7.Maij in ♀ m.19.Iulij die 24.min.8.Merc. die 30. & 31.Iulij m.7. ♀ Aug.1.min.7.Vene. die 17.Sept.min.6.Merc.

Vis etiam vt qualis sis te patefaciam, ais igitur pag. 8. sic, Maginus proculdubio ,, ex Mestlino multa suscepit, quod eius literæ testantur, quas excellentiss. Mole- ,, tio dedit eo anno, quo suas Ephem. Venetijs excudēdas curauit, idq; ipse Ma ,, ginus (nisi veras conscientiæ voces pudor includat) negare non pōt. Sed quænam literæ sunt hæ? num habes eas apud te: nā post obitū Moletij cū multa ipsius scripta ad tuas manus venerint, potu isses, & illas habere? habes testes aliquos qui eas legerit? Minimè inquis, sed Moletius hoc mihi retulit. Tuæ profectò auctoritati standum est, quinimo nec Moletio ipsi, si viueret, credēdum esset, nisi illas literas ostenderet, sed quid tecū frustra conflictor, qui nihil vna

ratione

ratione aliqua probas, præsertim cũ epistolas oẽs mihi Maginus dederit, quas à Moletio accepit Venetijs, dum eius Ephemerides imprimerentur, inter quas illã publicare statui, qua ipsi Magino Moletius rñdit de Ephemeridibus Mestlini, dum.n.imprimerentur eius Ephem. incidit forte Maginus in Ephem. Mestlini, & illis perspectis, & diligẽtissimè cũ suis collatis elicuit differentiã, quam supra posui, atque insuper perpendit nonnulla loca, vt videret, vter eorum tabularum calculo propior esset, inuenitque interdum se, interdum Mestlinum à tabulis in paucis minutis recedere; quod cum per literas Moletio significasset, responsum ab illo accepit his verbis.

Hanc epistolam manu propria Moletij conscriptam missam esse scito Patauiũ ad perillustrem virũ, atq; omni doctrina ornatissimum Ioannẽ Vincentiũ Pinellum, vt ab omnibus curiosis legi possit, & recognosci: nõ.n.falsa comminiscor.


Hoc vnum etiam superioribus adiungere non ab re visum fuit, quod tu in me iocaris, multaq; in meam cõtumeliam effundis, qđ errata typographica vtriusq; Ephemeridũ collegerim quasi nescias, quo scopo id à me fuerit factum. nam si de vtriusque Ephemeridnm differentia mihi loquendũ erat, atq; uter vestrum à tabularum calculo magis recederet declarandum, cur non ualdè necessariũ fuit, me errata typographica ab erratis per calculum distinguere? non ergo molestus lectori (vt dicis) in hoc fui. An exhibere molestiam lectori in ijs potui, in quibus tota causa constituta esse videbatur? Sed noluisti me ea aperire, quæ te condemnarẽt. Scio te non expectasse tantam diligentiam in censurandis his tuis Ephemeridibus, sed me hercle non miror diligentia mihi adhibenda fuit, vt sufficienti probatione cõuincere possem te ex alienis laboribus nomẽ quęsiuisse. Prætermitto multa à te esse scripta, quæ nihil ad rem facere videntur, vt cum de quodam ense me inconsideratè scripsisse autumas, & alia huiusmodi, semper enim intra modestiæ fines in mea censura continuisse me certo scio, tu vero tali animo in me inueheris, vt legere volueris etiam ea, quæ à me scripta non erant, vnde possem iure potius tibi obijcerẽ, quod mihi est à te obiectum, multa scilicet te contra me & Maginũ à re proposita aliena conscripsisse, alioqui tua hæc responsio nimium breuis foret? Potuisti ne illustrius ingenij tui ac morum imaginem apud illos, qui te nunquàm antea nouerant exprimere, quàm hac tua responsione? Missum itaque te, & nunc quidem & in posterum faciam vtcunque sęuias sufficiat mihi hæc, & contra tua argumenta pro mea defensione allata, in medium produxisse, tum ex hoc me consequutum à candidis lectoribus spero, tãtam scilicet vim habuisse apud eos excusationem nostram, vt ipsi etiam iudicent, me non te idcirco accusasse, quo ex tui obtrectatione laudem mihi aliquam inuenirem, sed vt rei veritate patefacta lectores non idcirco Magini Ephemerides præ tuis contemnerent, quia tuas esse exquisitissimas iactaris, ac tacitè illis anteponendas esse significaris, solasque tuas hominum manibus esse ferendas, imò contra, vt illi tuas idcirco nihili pendant, quia à Maginianis exscriptæ sint, & quidem malè, ac mendosè descriptæ. Tu verò si mitius, & vt literatum virum, non vt Thrasonem decebat, mecum egisses in respondendo, existimationi tuæ multò melius contulisses, ac te Quintilian sapienter obtemperasse consilio vnusquisque iudicaret. Nunc quando tu ea quæ voluisti in nos scripsisti, ne mireris, si à nobis ea, quæ tu nolis, in te scripta legeris. Vale & resipisce.

F I N I S.

Al molto Magnif. & Eccellente Sig. mio osseruand.
il Signor Gio. Antonio Magini.

PENSAI già di hauerle à quest'hora mandata l'Epistola, per poterſene accommodare, ma impedito molto da nuoui affari, che mi ſon ſopragionti, non ho potuto dar compimento à quanto ho deſiderato: però V.S.Eccel. perdonerà la dimora; farò bene che V.Eccel. l'hauerà à tempo, accioche poſſa valerſene; ſe ſarà, come ſpero, conforme al voler ſuo. Ho penſato ch'ella, ſolo debba eſſere in lode del ſuo libro, con dire bene alcune coſe del Leouitio, & dello Stadio, ma non deſcendere à particolare alcuno; rimettendomi per quelle dello Stadio à quanto V.Eccel. n'hauerà ſcritto. Del Leouitio baſterà ſolo dire, che ſon ſupputate con la via d'Alfonſo, la quale non riſponde con l'apparenze. Del Meſtlino, non accaderà ſecondo me farne mentione nella mia, & baſterà che V.S. dichi nella ſua, ch'ella non ſapeua, quando cominciò à ſupputare le ſue Efemeridi, che doueſſero venirne altre fuori, perche forſe, non hauerebbe perſa la fatica. Ne mi pare che i ſuoi falli ſiano da mettere in conſideratione, eſſendo coſe di poco momento: & di più per non parere, che l'huomo voglia far profeſſione di emendar tutti, ò di venir eſaminando i falli di tutti: con tutto ciò mi rimetto à lei, da me hauerà da pigliar il tutto in buona parte, & con queſto fine à V.S. bacio la mano repriego ſalute. Da Padoua il dì 28. d'Ottobre del 1582.

Di V.Eccel.



Seruitore affettionatiſſ.

Gioſeppe Moleto.